
Buchholz · Quibus Fontibus Plutarchus in
Vitis Fabii Maximi et Marcelli Usus Sit · 1865







QVIBVS FONTIBVS PLVTARCHVS IN VITIS

FABII MAXIMI ET MARCELLI

VSVS SIT

INVESTIGAVIT

MAGNVS BVCHHOLZ.

GRYPHISWALDIAE MDCCCLXV.
TYPIS FRIDERICI HACHE.

PRAEFATIO.

Heerenium, qui primus de fontibus et auctoritate uitarum Plutarchearum disputauit, minime rem expediuisse, inter uiros doctos constat. nam enumerauit tantum auctores ab ipso Plutarcho nominatos; quemadmodum uero iis usum esse Plutarchum existimauerit, raro pronuntiauit, quae pronuntiauit nunquam argumentis probauit. quanta fuerit neglegentia, exemplo illustrabo. in fine uitae Marcelli Plutarchum disertis uerbis Liuium et Valerium Maximum laudasse, quamquam rei, cuius auctores eos fuisse dicit, nullum apud Liuium aut Valerium Maximum est uestigium, ne animaduertisse quidem uidetur Heerenius. itaque nostris temporibus extiterunt, qui eandem quaestionem retractandam sibi sumerent atque accuratius de nonnullis uitis agerent. quorum exemplum secutus ego in fontes Fabii Maximi et Marcelli, quarum uitarum post Heerenium fere nulla ratio habita est, denuo inquirere suscepi. nam Marcelli quidem uita prorsus neglecta est, quae autem de Fabii Maximi uita exposuit C. Peterus in commentatione: Livius und Polybius, Halis 1863 pag. 59—65, non probabilia mihi uidentur esse. ille enim similitudine, quam saepe

inter uicesimum alterum librum Liuii et Plutarchi Fabium Maximum intercedere animaduertebat, inductus Liuium praecipuum eius uitae fontem fuisse demonstrare studuit. cui uiri doctissimi sententiae ut assentiar, cum tantum absit, ut quam minime Liuio usum esse Plutarchum persuasum mihi sit, eo magis incitatus sum, ut quae mihi uidebantur persequerer.

H. Peteri opusculum: die Quellen Plutarch's in den Biographieen der Römer, quod nuperrime editum est, in manus uenit, postquam iam totam quaestionem absolui. neque inest in iis, quae de fontibus Fabii Maximi et Marcelli (pag. 51—57; 74—80) disseruit, quod in meum usum conuertere potuerim, quia et longe aliam uiam iniit et quod suspicatus est multum a mea sententia distat. quam uero proposuit opinionem, eam mea me quaestione refutaturum esse spero.

Cum manifestum sit, omnes rerum gestarum scriptores ex auctoribus in historia conscribenda adhibitis unum, cui prae ceteris fidem habebant, praecipuum ducem sibi elegisse, in inuestigandis eorum fontibus ante omnia id mihi uidetur agendum esse, ut ostendatur, quem potissimum quisque auctorem secutus sit. qui auctor quis fuerit in uitis Fabii Maximi et Marcelli, ipse Plutarchus non indicat. nam in uita Fabii Maximi praeter Posidonium, quem fontem primarium habere nos historiae eius longe a temporibus belli Hannibalici remotae uetant, neminem nominat, in uita autem Marcelli quamquam multos auctores laudat: Polybium, Liuium, Jubam, Cornelium Nepotem, Caesarem Augustum, Valerium Maximum, Posidonium, tamen nulli unquam notam addit, qua perspici possit, quem potissimum secutus sit. itaque cum a Plutarcho destituti simus, nobis confugiendum est ad ceteros auctores, qui de bello Hannibalico scripserunt, ac comparatis iis cum Plutarcho uidendum est, quae rationes inter eos et Plutarchum intercedant et quid ex iis aut fontibus eorum de Plutarcho conici possit. quo e numero diligentissime excutiamus necesse est Liuium et Polybium, qui uberrime hoc bellum descripserint et qui non solum ab ipso Plutarcho laudentur (comp. Pelop. et Marc. 1) sed etiam mirum quantum conspirent cum eo. neque uero neglegi debent relicui auctores huius belli.

Sed, priusquam ad ipsam comparationem accedamus, haud alienum erit de eorum auctorum, qui in censum ueniunt, fontibus et auctoritate pauca praefari. ac Polybium quidem in earum rerum Romanarum enarratione, quarum ipse aequalis non fuerat, (nam relicua historiarum pars ad

nostram quaestionem non pertinet) fere omnes et Graecos et Romanos auctores, qui res illas ante eum memoriae prodiderant, legisse ac consuluisse e legibus, quas a rerum scriptoribus obseruandas censuit, (XII, 25, e; 27; 28) et e seueritate, qua ipse has leges obseruauit, suspicari licet. praeter Graecos uero auctores eum Fabii Pictoris *) annalibus usum esse ipsius testimonio constat (I, 14; 15; 58; III, 8). neque uero temere iis credidit, sed quo excellebat ueritatis studio et subtilitate iudicii summa cum diligentia omnia examinans errata detegebat et emendabat, res praetermissas supplebat, leues omittebat, confusas ac turbatas in certum ordinem redigebat, quippe qui ipsa monumenta antiqua perscrutatus esset ac familiaritate Scipionis usus multa a uiris clarissimis audisset, quorum ductu auspiciisque imperium Romanum ad tantum splendorem ac potentiam productum erat, qui uariis itineribus regiones, quae testes fuerant memorabilium facinorum, perlustrasset, qui Philopoemene ac parente Lycorta praeceptoribus enutritus in bellis rebusque publicis administrandis bene uer-

---

*) Nam quod Polybius Fabium Pictorem, ubicunque eius mentionem facit, reprehendit quin etiam (III, 8; 9) *ἀλογίαν* ei obicit, ex eo minime erui potest eum Fabii annales spreuisse aut ex iis haurire noluisse, ut opinari uidetur C. Peterus pag. 55. acerbitas enim censurae nihil habet miri, quia ita ac saepe acerbius quam iustius in omnes fere auctores inuehitur. omnium tamen, quorum fidem reprehendit, Fabio maxime pepercit. immo fatetur I, 14, Fabium et Philinum *ἐμπειρότατα* de primo bello Punico scripsisse neque de industria ab uero aberrasse uideri. at profecto longe aliis opinor conuiciis eos lacerat, quibus nullam fidem habuit. conferas quae de Sosili et Chaereae historiis iudicat III, 20: *πρὸς μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα τῶν συγγραμμάτων, οἷα γράφει Χαιρέας καὶ Σώσιλος, οὐδὲν ἂν δέοι πλέον λέγειν· οὐ γὰρ ἱστορίας ἀλλὰ κουρεακῆς καὶ πανδήμου λαλιᾶς ἔμοί γε δοκοῦσι τάξιν ἔχειν καὶ δύναμιν.* tum ne res quidem ipsas a Fabio narratas sed iudicia quaedam ab eo de rebus gestis prolata refellit. denique si maiores Fabii historiae partes a uero abhorruisse cognouisset, certe non saepius fidem eius exagitare omisisset, praesertim cum timeret, ne qui nomen eius ac titulum libri intuentes quaecunquae scripsisset ut certa arriperent (III., 9).

satus ac fortunae uicissitudines quam acerbissime esset expertus. huic uero dignitati ac praestantiae Polybii officit orationis siccitas et durities atque frequentia ratiocinationum egressionumque, qua sane fatigamur quaque factum est, ut magis quam par erat a ueteribus neglegeretur. a Polybio quam plurimum distat Liuius. quibus enim uirtutibus ille praestat hic est inferior, quibus ille caret hic floret. sermonis enim elegantia et iucunditate, qua primus ex annalium scriptorum ieiuno dicendi genere emergens uniuersam populi Romani historiam illustrauit, et ingenuo sensu ac candore, quo in rebus clarorum uirorum describendis ductus est, aequales et posteros pari admiratione imbuit. at cauendum est, ne hoc fulgore occaecemur. atque intentius inquirentes in compositionem et argumentum historiarum haud leuia uitia animaduertemus. ad historiam enim conscribendam accessit Liuius, priusquam expressam imaginem eius cogitatione finxisset, annales uero neque omnes quos data opera sibi conciliare poterat conquisiuit, neque eos quibus usus est tanta quanta debebat cura adhibuit aut ubique omnes consuluit, sed tum hos tum illos secutus est. contra eodem loco haud raro uarias diuersissimorum auctorum relationes permiscuit ac confudit. unde errores, locos obscuros et inter se repugnantes extitisse nemo erit qui miretur. antiquis autem monumentis, quae tunc satis multa superfuisse e Dionysio Halicarnaseo discimus, adeundis nullam operam dedit, ut tuo iure diceres non monumenta Liuio sed Liuium monumentis defuisse. accedit quod accurata terrarum cognitione minime erat instructus et a re publica gerenda remotus non potuit esse ea sagacitate, qua quo nexu res diuersis locis gestae cohaererent, quibus causis ortae, qui euentus futuri essent, perspiceret. in tertia autem decade quae nobis conferenda est Fabium Pictorem, Cincium Alimentum, Latinum Graecorum Acilii Glabrionis annalium interpretem, Caelium Antipatrum, Valerium Antiatem, Calpurnium Pisonem, Clodium Licinium et Graecos Silenum ac Polybium se consuluisse ipse profitetur. quem uero potissimum auctorem

secutus sit in controuersia *) est, aliis Polybium aliis Fabium Pictorem fontem primarium fuisse contendentibus. cui contentioni aliquam lucem nostram quaestionem allaturam esse speramus. iam uero nos conuertamus ad Appianum, qui maxima cum leuitate et imprudentia summa regionum ignorantia e uariis fontibus historiam suam compilauit. nihilo minus non parui aestimandus est, quia plerumque bonos auctores habebat, Dionysium Halicarnaseum, Polybium, Posidonium. narrationes uero quasdam ad bellum Hannibalicum spectantes e Fabio Pictore, quem Hann. 27. τὸν συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων appellat, fluxisse, affirmat Niebuhrius (Vorles. üb. röm. Gesch. I, 60; II, 61). eodem Fabio Pictore Niebuhrius (Vorles. üb. röm. Gesch. I, 62; II, 62) consentiente Wilmansio (de Dionis Cassii fontibus et auctoritate, Berol. 1836, pag. 2) probabiliter coniecit prae

*) Qui primus de fontibus Liuii accuratius disquisiuit Fr. Lachmannus (Gott. 1822, 1828) omnia, in quibus Polybius et Liuius congruere uidebantur, Liuium e Polybio petiuisse statuit. deinde multi extiterunt, qui, quod a Niebuhrio (Vorles. üb. röm. Gesch. ed. Isler I., 49) et a Schweglero (röm. Gesch. I. 110) iactum erat ante medium bellum Hannibalicum non inspectum esse uideri Polybium a Liuio, persecuti argumentis firmare student, cf. K. W. Nitzsch: Q. Fabius Pictor über die ersten Jahre des hannib. Krieges, allgemeine Monatsschrift 1854 pag. 67—84; Michael: in wie weit hat Livius den Polybius als Hauptquelle benutzt? Torgauer Progr. 1859; Tillmanns: quo libro Liuius Polybii historiis uti coeperit? Jahn's Jahrbücher 1862, pag. 844 ff.. contra quos ante hos duos annos C. Peterus in commentatione supra laudata Lachmanni sententiam defendens ostendit Liuium iam in libris XXI et XXII praeter alios annales Polybium potissimum auctorem habuisse. cui sententiae quamquam in uniuersum assentimur, tamen longius uirum doctissimum progressum esse arbitramur, quia nimiam uim externae speciei ac formae tribuisse uidetur et quamcunque argumenti similitudinem deprehendit, eam ex adhibito Polybio repetendam esse putat. nam quae forte cognatio sermonis ac uerborum occurrit, ea nonnunquam casu efficitur etiam apud scriptores, qui res easdem tractantes nequaquam inter se cohaerent, saepius utrum ex ipso Polybio an e communi utriusque fonte manauerit difficile est diiudicatu. praeterea discrepantiae haud leues fugisse uidentur Peterum, quas occasione data infra in medium proferemus.

aliis in prioribus libris Dionem Cassium usum esse, qui rerum non minus publicarum quam bellicarum usu atque experientia inter aequales eminebat. huius tam egregii auctoris historia ueterum temporum paucis tantum exceptis fragmentis quod interiit ualde dolendum est. quae iactura aliqua ex parte compensatur Zonarae annalibus. is monachus quamquam uilissimus est homo et scriptor, utpote qui in exordio profiteatur se ad historiam condendam, ut prauas cogitationes ac cupiditates repelleret, confugisse atque fontes suos eosque paucissimos exscripsisse, tamen nobis magni est pretii, quia ad uerbum fontes transscribens multa seruauit ex auctoribus, quorum opera aetatem non tulerunt. in historia enim Romana usque ad deletam Corinthum auctores habuit tum Dionem tum Plutarchum, atque in ea parte quae ad nostram quaestionem attinet solum Dionem, quo ita utebatur ut alia transscriberet, alia praetermitteret, alia in breuius contraheret, ut W. A. Schmidt (de fontibus Zonarae, Zeitschrift f. Alterthumsw. ed. Zimmermann, 1839 p. 238) certissime euicit. e Cornelio Nepote fere nullos fructus percipere possumus, quia excellentium ducum Romanorum libro perdito sola uita Hannibalis ad nostram quaestionem attinet, de eius autem fontibus, quamquam haud spernendi auctores laudantur cap. 13: Polybius, Sulpicius Blitho, cuius hoc solo loco mentio fit, Sosilus ac Silenus, Hannibalis comites, propter nimiam Nepotis incuriam ac memoriae infirmitatem nihil conici potest. totus denique Liuii sectatorum et epitomatorum grex, ubi ipse Liuius superest, iure neglegi potest, auctorum deperditorum tenue affert subsidium. ac sunt illi quidem Valerius Maximus, Julius Florus, Eutropius, Orosius, Aurelius Victor ut uulgo appellatur qui libellum de uiris illustribus composuit. qui qua ratione usi sint Liuii annalibus explicauit U. Köhler (Gott. 1860). de Valerii Maximi fontibus fusius disseruit Kempf in praefatione editionis. de Orosii uita eiusque historiarum libris Th. de Moerner dissertationem scripsit (Berol. 1844).

His praemissis singulas uitae Fabii Maximi partes

percenseamus et cum ceteris auctoribus conferamus. in primo capite Plutarchus *) ut solet praefatus de genere ingenio moribusque Fabii, postquam primum eius consulatum ac triumphum de Liguribus actum uerbo tetigit, cum pugnae apud Trebiam commissae et itineris ab Hannibale per Etruriam facti mentionem fecerit, longius cap. II et III commoratur in adumbranda Flaminii consulis temeritate cladeque ad Trasumennum lacum accepta. ac fere omnia quae narrauit Plutarchus cum reperiantur apud Liuium (XXII, 1—7), Liuii uero pugnae descriptio simillima uideatur esse Polybianae enarrationi (III, 80—85), cum alii uiri docti tum C. Peterus Liuium uertisse Polybium, e Liuio autem Plutarchum hausisse contenderunt. sed nostra sententia longe aliter sese habet res. priusquam autem de Plutarcho quaeramus, quae inter Liuium et Polybium intercedat ratio statuemus. de qua quo facilius iudicari possit, non modo quae quominus Polybius fons habeatur Liuii obstant afferemus, sed etiam quae similia sunt inter eos sub oculos subiciamus. Hannibalem, cum insitam ingenio Flaminii consulis temeritatem nosset, fertilibus Etruriae campis usque ad Trasumennum lacum peruastatis, tanta ira eum inflammasse, ut contemni se putans ac salutaribus amicorum hortationibus spretis clamans impediendum esse, quominus hostis uastando et urendo ad ipsa Romana moenia perueniret, citato agmine insequeretur et inexplorato in insidias ab hoste structas intraret, aeque Liuius ac Polybius enarrant. praeterea in ipsius pugnae descriptione multa concinunt. ordo rerum fere idem. solis occasu ad lacum peruenisse Flaminium et postero die uixdum satis certa luce in angustias ingressum esse; montes et lacum densa nebula subito orta e lacu intectos esse; Romanos undique circumuentos cum in tanta trepidatione

*) Plutarchi capita et uersus attuli ex editione Sintenis, Lips. 1839, Polybii ex edit. Bekkeri, Berol. 1844, Liuii paragraphos ex ampliore Weissenbornii editione.

neque acies instrui neque arma expediri possent esse oppressos; multos nulla salutis spe relicua in lacum sese immergentes gurgitibus haustos esse; sex milia primi agminis, qui fortiter eruptione facta e saltu euasissent, post pugnam Maharbali ea condicione ut armis traditis cum singulis uestimentis abirent sese dedisse, ab Hannibale uero fide rupta in uincula coniectos esse; captos socios sine pretio dimissos ciues Romanos in uinculis retentos esse; a praetore ingentem acceptam esse cladem Romae pronuntiatum esse ab utroque ita narrantur, ut uerborum similitudo quaedam obseruari possit ac Liuius Graeca Polybii uerba tum Latino sermone reddidisse tum maiore ubertate distinxisse uideatur. sed accedunt non pauca, quae aut a Polybio aut a Liuio solo narrata sunt. nam uerum imperatorem quo ingenio sit aduersarius indagare et uitia eius in suum usum conuertere debere, quae explanatio sane propria est Polybii (cap. 81), Liuius ne uerbo quidem memorat. contra solus Liuius exponit non minus tetra prodigia quam omina quaedam a Flaminio neglecta esse; motum terrae, quo multae Italiae urbes prostratae sint, intentis in pugnam animis neutrum exercitum sensisse; tres fere horas pugnatum*) esse; magna cum cura Hannibalem corpus Flaminii quaesiuisse. a Celtis Flaminium necatum esse Polybius significauit, Liuius copiose enarrat nomine Jnsubris equitis qui consulem lancea transfixerit adiecto. aeque nomen praetoris, per quem calamitas pronuntiatur Romae, solus Liuius affert. uides necesse esse, ut saltem alterum auctorem consuluisse Liuium putes, si Polybium praecipuum auctorem habes. iam uero extant apud Liuium quae nullo modo possint conciliari cum Po-

*) Eadem quae Liuius attulit omina a Caelio Antipatro narrata esse cum e Cicerone (de diu. I, 35; de nat. deor. II, 3, 8) appareat, Lachmannus et Peterus censuerunt e Caelio Liuium illa adiecisse Polybianae enarrationi. sed perspicuum est nihil obstare, quominus eadem iam ab aliis annalium scriptoribus Caelium accepisse et Liuium ex iisdem hausisse statuamus.

lybio sed pugnent cum eo. nam cum Polybius Flaminium, ubi undique sese circumuentum esse cognouisset, *δυςχρηστούμενον καὶ περικακοῦντα τοῖς ὅλοις* fuisse tradit, Liuius impauidum eius animum atque egregia fortitudinis specimina ab eo edita praedicat. deinde naturam loci, cuius descriptionem e Polybio sumptam esse a Liuio Lachmannus II, 44 et C. Peterus p. 32 affirmant, aliter Liuius et Polybius cogitatione informasse mihi uidentur. Polybio enim auctore (cap. 83) per angustum aditum a sinistra praeruptis rupibus a dextra lacu clausum intramus in uallem, quae utrimque altis montibus saepta a fronte tumulo in quo Hannibal castra posuerat intercluditur. huic loci situi apte respondet copiarum dispositio. castris enim aduersum aditum collocatis Baliares cum expeditis Hannibal in dextros montes mittit, equites et Celtas per laeuos ita extendit, ut extremi prope aditum abditi lateant. tum primum agmen Romanorum in uallem ingressum ab utroque latere (*ἐκ τῶν πλαγίων*) hostibus ex insidiis prorumpentibus caeditur, relicuus uero exercitus in ipso aditu a lacu et rupibus inclusus etiam foedius perit. ita etiam qui in ualle trucidati erant (numerus cum Liuio consentit) segregantur ab iis, qui in faucibus interierunt. — secundum Liuium uero non solus aditus sed tota uallis ab altero latere lacu ab altero montibus cingitur (cf. 4. §. 3: ut ubi intrassent Romani clausa omnia lacu ac montibus essent; 4. §. 5: Poenus ubi hostem clausum lacu ac montibus habuit; 5. §. 6: ab lateribus montes ac lacus, a fronte et tergo hostium acies claudebat; 6. §. 5: nec montes nec lacus obstabant). nunquam montes dextri et sinistri ut a Polybio discernuntur. cui loci descriptioni etiam copiarum collocatio accommodata est. ipse Hannibal in castris in aperto locatis cum Afris Hispanisque considit, Baliares ceteramque leuem armaturam post montes circumducit, equites non per laeuos montes sed ad ipsas fauces tumulis apte tegentibus locat. deinde non solum primum agmen sed totum exercitum in uallem intrasse et omnino XV milia caesa esse narrat. Liuianam igitur loci descriptionem, quam Polybianae repu-

gnare in aperto sit neque perperam intellecto Polybio ortam esse putari possit, quia clarissima sunt eius uerba neque semel discrepantia Liuii apparet sed ad totius pugnae descriptionem pertinet, non e Polybio sed ex alio auctore manauisse statuendum est. ac cum haec regionis descriptio copiarumque collocatio totius pugnae descriptionis ut ita dicam fundamentum sit, praeterea non pauca annotauerimus, quae aut solus Liuius exhibet aut pugnans cum Polybio exposuit, dubitari non potest quin Liuius in hac pugna describenda Polybio omnino non usus sit, similitudines uero e communi ab utroque adhibito fonte repetendae sint. nam si Liuius ante oculos habuisset Polybium, non illas minoris momenti res sed potius fundamentum aut totam descriptionem ex eo sumpsisset. fonte uero hoc uaria ratione uterque usus est. Liuius enim quae inuenit nihil suspicatus credidit ac bona fide reddidit, Polybius autem ut erat acri iudicio examinauit et, quia ipse lacus Trasumenni situm lustrauerat falsoque ab auctore suo descriptum esse cognouerat, immutauit ac correxit.

Quis uero est hic utriusque auctor? in censum uenire possunt annalium scriptores, qui Polybii aetati antecesserunt, et Graeci, qui sese ad bellum Hannibalicum memoriae prodendum accinxerunt. ac Graecos quidem Sosilum ac Chaeream non nouisse uidetur Liuius, Polybius indignos esse dicit, qui historiae scriptores appellentur (III, 20). similiter de Sileno statuendum est. nam is, praeterquam quod Polybius nunquam semel Liuius (XXVI, 49) eum nominat, iure autem num ipsum inspexerit Liuius an ex alio auctore nomen eius transscripserit dubitari potest, historiam suam, si e fragmento a Cicerone de diu. I, 24 seruato coniecturam facere licet, more Gaecorum fabulis exornauerat, quas arrisisse Caeliis miraculorum amantibus a Polybii ingenio abhoruisse censere debemus. L. Cincii Alimenti autem et Acilii Glabrionis nulla fit mentio a Polybio. M. Porci Catonis origines nec commemorauit Polybius nec Liuium in tertia decade consuluisse ueri simile est (cf. Lachmann. d. f. L. II, 17). A. Postumii Albini

Graecam historiam, cuius nunquam meminit Liuius, Polybium legisse non adhibuisse apparet ex acerbis facetiis, quibus eum irrisit (XL, 6). ex aequalium denique L. Calpurnii Pisonis, Caelii Antipatri *), aliorum annalibus, qui num, antequam Polybius historiam suam absoluisset, uulgati sint iure dubitatur, quidquam mutuatum esse Polybium quis est qui existimet? itaque cum solus Fabius Pictor relicuus sit eumque Liuium ac Polybium adhibuisse constet, non temerius nos iudicasse putamus Q. Fabium Pictorem communem quem quaerimus fontem fuisse statuentes. neque falsam esse hanc suspitionem insigni confirmatur testimonio ipsius Liuii. nam pugnae descriptione absoluta de caesorum numero disserens haec dicit (XXII, 7): *Haec est nobilis ad Trasumennum pugna atque inter paucas memorata populi Romani clades. quindecim milia Romanorum in acie caesa; decem milia sparsa fuga per omnem Etruriam diuersis itineribus urbem petiere. duo*

---

*) Miror quod H. Peterus pag. 56 censuit Caelium Antipatrum communem Polybii, Liuii, Plutarchi fontem fuisse. nam Polybium eo ne potuisse quidem uti colligi potest e fragmento Caelii, quod seruauerunt Cicero de diu. I, 26 et Valerius Maximus I, 7, 6. ac Ciceronis uerba haec sunt: „C. uero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eundem Caelium est, sibi in somnis quaesturam petenti Tib. fratrem uisum esse dicere, quam uellet cunctaretur, tamen eodem sibi leto, quo ipse interiisset, esse pereundum. hoc, antequam tribunus plebis factus esset C. Gracchus, et se audisse s ribit Caelius et dixisse multis.“ item Valerius Maximus postquam idem Gracchi somnium narrauit addit: „Caelius etiam, certus Romanae historiae auctor, sermonem de ea re ad suas aures illo adhuc uiuo peruenisse scribit.“ quodsi Caelius memoriae prodidit hoc somnium, cuius famam aliquanto demum ante, quam C. Gracchus tribunus pleb. factus est, audiuerat, patet annales eius perfectos ac uulgatos esse certe non multo ante annum 123, quo tribunatu functus est C. Gracchus. eo autem tempore quin Polybius, qui 123 supremum diem obiit, historiam belli Hannibalici iam absoluerit nulla est controuersia. ac ne Plutarchus quidem nouisse uidetur Caelii annales. nam nunquam Caelium laudat, C. Gracch. 1 autem, ubi de eodem somnio agit et eundem Ciceronis locum quem attulimus ante oculos eum habuisse in aperto est, nullam Caelii mentionem facit, sed Ciceronem illius somnii auctorem esse dicit.

milia quingenti hostium in acie, multi postea utrimque ex uulneribus periere. multiplex caedes utrimque facta traditur ab aliis: ego, praeterquam quod nihil haustum ex uano uelim, quo nimis inclinant ferme scribentium animi, Fabium aequalem temporibus huiusce belli potissimum auctorem habui. primum enim hic locus haud scio an nouum argumentum praebeat, quo Liuium Polybio hoc loco non usum esse, Polybium uero numeros e Fabio Pictore petiuisse euincatur. nam si totam cladis descriptionem e Polybio hausisset Liuius, quid erat cur ad Fabium Pictorem prouocaret neque acquiesceret in numeris Polybii, qui excepto uno eosdem quos Fabius exhibet et aeque ac Fabius iis oppositus est, qui multiplicem utrimque caedem factam esse prodiderant? deinde haud ambiguis uerbis Liuius pronuntiat se Fabii Pictoris auctoritatem secutum esse. Liuium uero nihil nisi caesorum numeros e Fabio sumpsisse, ut Peterus confidens pugnae descriptionem uersam esse e Polybio opinatur, adduci non possumus ut credamus. nam potestne cogitari Liuium eum auctorem, quem ut aequalem belli Hannibalici tanta ueneratione prosequitur, quem aliis auctoribus uana prodere amantibus se anteposuisse et auctorem potissimum habuisse profitetur, de tantula re consulisse in rebus uero summi momenti prorsus neglexisse? immo ex his tam eximiis laudibus concludi debet Liuium non solum in huius cladis descriptione sed etiam in proximis belli annis enarrandis Fabium sibi fontem primarium elegisse. neque causa, qua C. Peterus sententiam suam fulcire studet, nostram conuelli putamus. dicit enim pag. 56 fingi non posse annales Fabii, qui rerum quas aut ipse uidisset aut ex aequalibus audiuisset historiam condidisset, similes fuisse Liuii historiae, quam e uariis auctoribus compositam esse e discrepantiis haud raris eluceret. discrepantias quibus plena est Liuii historia non iam fuisse in Fabii annalibus libenter concedimus. hae uero non e Fabio sed ex aliis eodem loco a Liuio adhibitis auctoribus manarunt. nam non totam Fabii historiam exscripsit Liuius, sed singulas modo partes ut mos eius erat

ex eo desumpsit alia ex aliis fontibus admiscens. Fabii autem historiam eam fuisse, e qua ortam esse fusam et copiosam Liuii narrationem putari posset, Dionysius Halicarnaseus testatur, qui I, 6 Fabium eorum temporum res quarum ipse aequalis fuisset accurate enarrasse dicit (*τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος* (Fab. et Cincius), *οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε, τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμε*), nec non e fragmentis quibusdam perspicitur. nam quae Plinius, nat. hist. X, 24 affert e Fabio sane minutias esse dicas. atque apud Dionysium Hal. VII, 71 accuratissime splendidissimus ludorum apparatus auctore Fabio describitur *).

His explanatis quid de Plutarcho statuendum sit uideamus. ac Polybio quidem non usum esse Plutarchum manifestum est, quia qua ratione facta sit ingens illa strages ne uerbo quidem memorat — immo e uerbis (III, 8) *περὶ τὴν καλουμένην Ὀρασυνίαν λίμνην τῆς Τυῤῥηνίας παρετάξατο* (Flaminius) et (III, 16) *τῶν δ' ἄλλων τραπέντων* effici uidetur eum parum recte de ea sensisse — neque fere quidquam affert nisi narratiunculas quasdam ad temeritatem Flaminii et ad illam pugnam spectantes, quae aut non extant apud Polybium aut discrepant ab eo. aeque enim ac Liuius prodit uirum fortem in acie sese praestitisse Flaminium. contra fere omnia quae narrat Plutarchus conspirant cum Liuio. sed, ut iam supra causam similitudinum Liuii et Polybii reconditiorem esse uidimus, ita hoc loco cauendum nobis est, ne externa specie falsi temere Plutarchum a Liuio pendere existimemus. atque ita si statueremus, sane mirum esset quod Plutarchus exhibet quaedam, quorum apud Liuium nullum est uestigium. nam Sempronium consulem clade apud Trebiam accepta aequo

---

*) Hunc Fabii locum ad belli Hannibalici tempora spectare ac peruerse a Dionysio ad antiquos Aul. Postumii ludos relatum esse suo iure coniecit Kiessling, „de Dionys. Hal. antiquitatum auctoribus Latinis,“ diss. Bonn. 1858 p. 14.

Marte pugnatum esse Romam nuntiasse nusquam commemorat Liuius. neque ficta esse illa a Plutarcho apparet e Polybio, qui ubi de proelio illo refert eadem tradit (III, 75). tum numerum caesorum eundem afferens, quem Fabium Pictorem secutus Liuius prodit, Plutarchus addit: *καὶ ἑάλωσαν ἕτεροι τοσοῦτοι.* quem captiuorum numerum unde petiit Plutarchus? apud Liuium non extat. post Liuii autem uerba: „in acie caesa“ captiuorum numerum intercidisse, ut C. Peterus opinatur, non est quod credamus, cum nullum corruptelae uestigium in codicibus conspiciatur. etiam minus est credibile Plutarchum solum captiuorum numerum ex altero fonte petiuisse. atqui eundem apud Polybium inuenimus. eum uero e Fabio Pictore numeros sumpsisse, Liuium autem totam cladis descriptionem e Fabio hausisse cum ostenderimus, nonne ita facillime res expeditur, ut etiam Plutarchum ex eodem Fabio Pictore non solum numeros sed etiam narratiunculas omnes mutuatum esse statuamus? praesto autem fuisse et adhibitos esse a Plutarcho Fabii annales certum est, quoniam Rom. III, VIII, XIV ad eum prouocat. plura autem in uitis Romuli et Numae ad eum referenda esse demonstrauit Klapp, „de Plutarchearum uitarum fontibus Romanis,“ diss. Bonn. 1862, pag. 9.

Huic sententiae obstare uidentur errores quidam Plutarchi, qui quo modo orti sint non posse intellegi arbitratur C. Peterus, nisi Plutarchum Liuium ante oculos habuisse ac leuitate aut linguae Latinae inscitia perperam interpretatum esse statuatur. ipsos Plutarchi et Liuii locos apponemus:

Pl. II. 13: (*ἐλέχθη*) *τοῦ δ' ὑπὲρ Φαλερίους οὐρανοῦ ῥαγῆναι δόξαντος ἐκπίπτειν καὶ διασπείρεσθαι πολλὰ γραμματεῖα καὶ τούτων ἐν ἑνὶ γεγραμμένον φανῆναι κατὰ λέξιν: Ἄρης τὰ ἑαυτοῦ ὅπλα σαλεύει.*	Liu. XXII, 1, 11: (nuntiatum est) Faleriis caelum findi uelut magno hiatu uisum, quaque patuerit ingens lumen affulsisse, sortes sua sponte attenuatas unamque excidisse ita scriptam: Mauors telum suum concutit.

haec Liuii uerba ita accepisse Chaeronensem, tamquam unum a Liuio traditum fuisset prodigium atque ex ipso caeli hiatu sortes decidissent, ante Peterum iam Perizonius, anim. hist. IX pag. 380 (edit. Amstel. 1685) animaduertit.

Pl. III. 4: *αὐτὸς* (Flam.) *δ' ἐπὶ τὸν ἵππον ἁλλόμενος ἐξ οὐδενὸς αἰτίου προδήλου παραλόγως ἐντρόμου τοῦ ἵππου γενομένου καὶ πτυρέντος ἐξέπεσε καὶ κατενεχθεὶς ἐπὶ κεφαλήν. . . .*	Liu. XXII, 3, 11: cum in equum insiluisset, equus repente corruit consulemque lapsum super caput effudit.

extrema Liuii uerba falso reddidisse Plutarchum opinatur Peterus, quamquam uter de ea re rectius prodiderit ne diiudicari quidem potest. nam qui praeter eos idem omen narrauerunt Valerius Maximus I, 6, 6 et Cicero, de nat. deor. II, 3, 8 nullam nobis lucem afferunt, quia alter Liuium secutus est, alter parum accurate rem tradidit. atque ut errauerit Plutarchus, hos errores non aliunde nisi e Latinis Liuii uerbis falso intellectis repeti posse negamus. certe in eosdem errores neglegenter lectis Graecis Fabii uerbis incidere potuit Plutarchus. — tertius error, ut hoc loco omnes quos affert Peterus percenseamus, est hic:

Pl. IV. 32: (*ὁ δικτάτωρ ηὔξατο*) *θεὰς μουσικὰς καὶ θυμελικὰς ἄξειν ἀπὸ σηστερτίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν καὶ δηναρίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν ἔτι τριτημορίου προσόντος. Τοῦτο τὸ κεφάλειόν ἐστιν ὀκτὼ μυριάδες δραχμῶν καὶ δραχμαὶ τρισχίλιαι πεντακόσιαι ὀγδοήκοντα τρεῖς καὶ δύο ὀβολοί.*	Liu. XXII, 10, 7: eiusdem rei causa ludi magni uoti aeris trecentis triginta tribus milibus trecentis triginta tribus triente.

summam eandem quam Liuius exhibet aere graui expressam ante oculos habuisse Plutarchum ueri simile est, quia miri numeri conspirant cum eo. aes uero permutaturus in argentum lapsus est denariis positis loco sestertiorum (cf. quae Weissenborn annotauit ad hunc Liuii locum). cuius erroris causa quemadmodum Latina Liuii uerba haberi pos-

sint non uidemus. — tum Plutarchum VI, 4: πρὸς τὸ Κασινάτον scribentem falsum uerbis Liuii XXII, 13, 5: „in agrum Casinatem“ Liuii adiectiuum pro nomine urbis accepisse sagaciter quidem a Petero excogitatum est, sed nescio an cogitari possit Plutarchum peruersam illam uocem iam recepisse ab eo quem secutus est. denique Peterus suspicatur in describendo certamine, quod in agro Falerno inter Fabium Maximum et Hannibalem commissum est, (Pl. VI, 16; Liu. XXII, 16, 2) errasse Plutarchum, quia expeditis, quos a Poeno contra Romanos missos esse Liuius narrat, falso ad Fabium Maximum relatis Fabium cum expeditis in Poenorum nouissimos impetum fecisse prodidisset. confitemur subtilem esse hanc coniecturam, si Liuium accurate secutum esse Plutarchum constaret. sed certum esse minime hoc loco Plutarchum pendere a Liuio atque non pauca rectius Liuio tradidisse infra demonstrabimus. his igitur causis Peteri sententia nostram non infringi arbitramur.

Sed haec hactenus. reuertamur ad quaestionem nostram. ac quoniam Plutarchus de eo tempore, quo summo imperio fungebatur Fabius Maximus et ab eo solo tot et tam grauibus cladibus labefactata ciuitas ab interitu retrahi posse uidebatur, maiore cum copia et ubertate agere coepit, multo certius ostendi potest quae ratio sit inter eum et ceteros auctores, qui non modo in uniuersum sed etiam mira nonnunquam ratione cum eo consentiunt. Liuii autem historia accurate usum esse Plutarchum etiam non comparatis singulis locis negari debet. nam in initio et fine huius narrationis summa cum diligentia ac disertis uerbis exponit Liuius (XXII, 8 et 31) Fabium non dictatorem, ut omnes prope annalium scriptores tradidissent, rem aduersus Hannibalem gessisse, sed, cum Seruilius consul, cui uni ius fuisset dictatoris dicendi, abesset neque literis acciri posset, a populo autem dictatorem creari non liceret, quod nunquam antea factum esset, prodictatorem Minuciumque magistrum equitum a populo creatum esse. quorum argumentorum nullum apud Plutarchum est uestigium,

qui aeque atque annalium scriptores, tamquam ab institutis ac legibus minime recessum sit, dictatorem Fabium dictum esse et ipsum Minucium magistrum equitum dixisse tradit. qui tandem fieri potuit ut Plutarchus si Liuium praecipuum ducem secutus esset nihil eorum animaduerteret, sed in eundem ueterum auctorum errorem incideret! immo non Liuium sed unum ex iis auctoribus, qui nullam prodictatoris mentionem fecerant, primarium fontem habuisse Plutarchum necesse est ut existimetur. atque ita rem esse singulis locis perlustratis pluribus argumentis probabimus.

Postquam Plutarchus cap. IV solus qua seueritate Fabius Maximus uetustam dictaturae *) maiestatem sustinuerit commemorauit, tum in uniuersum consentiens cum Liuio (XXII, 9—11) prae ceteris res diuinas curatas esse narrauit, cap. V fusius agit de cauta ac prudenti belli gerendi ratione Fabii Maximi. ac Fabium summopere uniuersae rei dimicationem uitasse in eoque consilio mira constantia perseuerasse omnes auctores praedicant. accuratius uero intuentes, quemadmodum disseruerint de hoc Fabii consilio, singularem inter eos rationem intercedere cognoscemus. latissime de eo Polybius disputat III, 89—90: Fabium cum hostes, qui multos per annos in bellis uersati imperatorisque prudentia et tot uictoriis inflammati essent atque unam salutis spem in uincendo positam esse scirent, plurimum praestare Romanorum exercitibus, Romanos autem omnium rerum abundantia militumque multitudine hostes superare uideret, nunquam summae rerum periculum fecisse, sed praeoccupatis opportunis locis et in tuto positis castris hostes quominus frumentum congererent impediuisse leuibusque certaminibus numerum eorum imminuisse suorum animos erexisse. Liuius uero dicit XXII, 12 §. 8—10: Fabium suo militi in castris retento tuta omnia et infesta hostium

*) Quae Plutarchus disseruit ad enucleandam legem, qua dictatoribus nisi rogato senatu equum escendere non licebat, ex auctore qui *περὶ αἰτιῶν* scripsit uidentur desumpta esse.

populatoribus praebuisse leuibusque certaminibus adsuefecisse territum pristinis cladibus militem, minus iam tandem aut uirtutis aut fortunae paenitere suae. uides Liuium non dissentire a Polybio, sed causarum, quibus Polybius Fabium adductum esse ad illud consilium exposuit, nonnullas omisisse, quas attulit non distincte explicuisse. iam uero conferamus Plutarchum, qui haec exhibet V, 5: *οὐχ ὡς διαμαχούμενος ἀλλὰ χρόνῳ τὴν ἀκμὴν αὐτοῦ καὶ χρήμασι τὴν ἀπορίαν καὶ πολυανθρωπίᾳ τὴν ὀλιγότητα τρίβειν καὶ ὑπαναλίσκειν βεβουλευμένος;* eadem tamquam ab ipso Hannibale dicta sint paulo post repetuntur V, 19: *οἷς μὲν εἰσι κρείττους ὅπλοις χρήσασθαι μὴ δυναμένων (Καρχηδονίων), οἷς δὲ λείπονται σώμασι καὶ χρήμασιν ἐλαττουμένων καὶ δαπανωμένων εἰς τὸ μηδέν.* haec Plutarchi uerba omnes quas fusius exposuit Polybius causas complecti, nullo modo autem e manca Liuii significatione manare potuisse nemo erit qui neget. nihilo minus in eodem capite Plutarchi sunt quae non apud Polybium inueniantur, conspirent cum Liuio. Fabium per loca alta agmen duxisse modico ab hoste interuallo (Pl. V, 8—13; Liu. 12 §. 8), solum Hannibalem Fabii prudentiam agnouisse (Pl. V, 16—17; Liu. 12 §. 5) atque omni opera ac fraude lacessiuisse Fabium, ut ad aecum certamen descenderet (Pl. V, 22—26; Liu. 12 §. 6—7), Plutarchus et Liuius memorant. uberius autem quam Liuius et Polybius in fine capitis Plutarchus agit de conuiciis, quibus Minucius Fabio illuserit militumque animos incitauerit, et de animi altitudine constantiaque Fabii, qui minime his turbatus aut a sanis consiliis auersus sit. tres autem auctores in hoc capite, in quo non fabulae decantantur, sed causis defenditur cunctatio Fabii, Plutarchum consuluisse eorumque sententias tam apte conexuisse credi non potest. talis diligentia ac cura aliena est a Plutarchi ratione. sed cum quae Polybius, Liuius, Plutarchus exhibent minime discrepent inter se, nihil est impedimento quominus omnes aeque ut antea Fabio Pictore usos tam similiter de hac re disputauisse, Plutarchum uero nec Polybio nec Liuio usum esse existimemus. eodem fere

modo de Fabii cunctatione iudicant Appianus Hann. 12, 13 et Zonaras VIII pag. 190, 15—20; 192, 1—9 (edit. Bonnensis).

Paulo alia ratio inter eosdem auctores intercedit in iis quae secuntur. in enarrando enim dolo, quo Hannibal ex angustiis agri Falerni elapsus sit, saepissime inter se discrepant (Plut. VI—VII; Pol. III, 90—94; Liu. XXII, 13—18). quamquam quin arto uinculo inter se cohaereant ambigi non potest, omnibus in ipsa fraude Hannibalis describenda (Pl. VI, 26—32; Pol. 93, 14—30; 94, 20—24; Liu. 16 §. 7—8; 18 §. 1), Plutarcho et Liuio in furore boum flammis stimulatorum illustrando (Pl. VI, 32—48; Liu. 17 §. 2—5) adeo consentientibus, ut ipsorum uerborum similitudo animaduertatur. quo uero uinculo coniuncti sint multo clarius quam antea cognoscitur, quoniam ex ipsis discrepantiis euinci potest Plutarchum nec Polybium nec Liuium fontem habuisse. Polybio enim eum non usum esse, ne omnes discrepantias afferam, certissime ex eo concluditur quod, ubi Polybium quae in annalibus inepte aut falso tradita essent saniore iudicio et accuratiore rerum cognitione instructum correxisse manifestum est, Plutarchus non probabiliorem ac ueriorem illius narrationem exhibet, sed annalium errores retinuisse uidetur. ita cum narrat inuitum Hannibalem ducum errore in agrum Falernum peruenisse, quam fabulam haud dubie annalium scriptores tradiderant, Polybius ueram causam, qua perductus Hannibal in agrum Falernum descenderit, perspexit exponens sua sponte profectum esse Hannibalem in Campaniam, ut deuastata fertilissima Italiae regione aut Romanos proelio decertare cogeret aut socios eorum ad defectionem sollicitaret. tum dicit Plutarchus Hannibalem, cum undique montibus ac fluminibus inclusus saltu a Fabio occupato nullo modo euadere posset, ad dolum illum confugisse; Polybius autem minime in tantis angustiis Hannibalem fuisse existimat tres Campaniae exitus esse fuse explanans (cap. 91), sed eum certiorem factum insequenti die Fabium ut praedam eriperet impetum facturum esse, ut hostium consilium irritum faceret fraudem

illam machinatum esse exponit. denique saltus custodes ignibus conspectis non quasi miraculo attonitos ac ne circumuenirentur ueritos, sed per montes euasurum esse Hannibalem ratos fauces reliquisse, ut obuiam ei irent, Polybius tradit. — in Liuii autem narratione haud dubia plurium fontium indicia multaque obscura esse ac pugnare inter se recte contendit C. Peterus pag. 35—39. quodsi eorum, quae in Liuiana narratione inter se pugnant et e diuersis fontibus intermixta esse ueri simile est, nihil Plutarchus exhibet, quae autem obscura sunt apud Liuium si minus recte, at clare narrauit, alia uberius exposuit, alia addidit, cogitari non potest ea quae cum Liuio concinere uidimus ex eo fluxisse. numerum enim eorum qui saltum occupauerant, de quo Plutarchus cum Polybio consentit, non inuenis apud Liuium. uberius describit Plutarchus naturam loci, quo Hannibal inclusus fuisse dicitur. saltus custodes, qui in fugam sese conuerterunt, quo fugerint e Liuio non elucet, Plutarcho auctore sese recipiunt in castra Fabii. quo loco Fabius castra posuerit e Liuio, qui saepius a se dissidet, non perspicitur (cf. 15 §. 3, 11; 16 §. 4, 5, 8; 17 §. 4 et quae annotauit Weissenborn. et Peter. pag. 38). sed cum narrat 15 §. 11 Fabium e montibus in uiam castra detulisse pugnat cum Plutarcho, qui consentiens cum Polybio Fabium in summis montibus exercitum collocasse dicit. inuitatum esse Hannibalem a Campanorum equitibus, cuius fabulae cum postea nulla habeatur ratio a Liuio ex alio fonte eam adiectam esse suspicamur, nec Polybius nec Plutarchus memorat. a se ipso dissidens denique Liuius exponit de certamine Romanorum e praesidio egressorum et Hannibalis expeditorum, quorum antea nullam mentionem fecerit. ac cum tota rerum condicio conspiret cum Polybio, persuasum nobis est hoc loco ipsum Polybium inspexisse Liuium. nam fontem primarium alium habuisse Liuium consentaneum est, quia pariter ac Plutarchus Polybio aduersatur. contra Plutarchus nihil tradit nisi insequenti die Fabium insecutum Hannibalem esse repressum. sed longum est omnia quae discrepant enumerare. itaque cum

neque a Polybio neque a Liuio Plutarchum pendere demonstrauerimus, similitudinum quas inter eos extare supra notauimus quae alia potest fuisse causa quam communis ab omnibus adhibitus fons? sed hoc communi fonte quem Fabium Pictorem fuisse supra probauimus diuersa ratione usi sunt, cum Polybius quae ab eo narrata erant correxit, Liuius alia ex aliis fontibus admiscens obscurauit, Plutarchus pure atque integre reddidit nonnulla fortasse praetermittens nihil uero aliunde adspergens. atque ita rem esse haud scio an confirmet etiam Appianus, quem ubi Plutarchus a Liuio aut Polybio dissentit plerumque cum Plutarcho conspirare uideamus quemque praeter multa, quae supra modum ueritatis aucta esse atque e prauis fontibus manasse eminet, non raro ueras Fabii Pictoris reliquias seruasse dixerimus. consentit enim (Hann. 14, 15) cum Plutarcho de loci natura et Hannibalis desperatione, de loco quo castra constituit Fabius et de numero eorum qui saltum custodiebant. pariter atque omnes fraudem Hannibalis describit.

Pergamus relicua perlustrare, quae dictatore Fabio Maximo gesta esse narratur (Plut. VII—XIII; Pol. III, 101—105; Liu. XXII, 23—30). ac de iis quantum iidem tres auctores inter se conspirent mirum esse qui legerit eos non negabit. nam quaecunque exhibet Polybius omnia paucis in angustum coactis apud Plutarchum reperimus. discrepantiae dignae quae notentur nullae occurrunt. sed cum Polybius Fabium domi criminationibus uulgi agitatum esse, Minucium ab interitu retractum ferocem animum abiecisse et sub imperium Fabii rediisse, ea quae amplissime illustrauit Plutarchus, uix significauerit, omnia autem consentiens cnm Plutarcho exposuerit Liuius, nobis non tam de Polybio quam de Liuio quaerendum esse in aperto est. atque totius narrationis ratio tam est similis apud Liuium et Plutarchum, ut qui Plutarcho Liuium fontem fuisse existimauerint non aberrasse coniectura uideantur. sed esse putamus quae obstent huic opinioni. de prospero enim certamine Minucii etiamsi idem sentiunt iusta acie et col-

latis signis pugnatum esse negantes, tamen Plutarchum a Liuio pendere uix cogitari potest, quia Liuius nimio breuitatis studio Minucium impetu in castra Hannibalis facto hostes perturbauisse, redeuntibus autem populatoribus caute sese recepisse exponere omisit. leuioris ponderis sunt discrimina, quod tribunus plebis qui uulgus contra Fabium Maximum accendebat non Metellus sed Metilius appellatur a Plutarcho, altera eius oratio (Pl. X, 10) non extat apud Liuium, contra a Plutarcho nulla Varronis mentio fit (Liu. XXII, 25 §. 18), quod maiorem Plutarchus quam Liuius operam nauat depingendae grauitati ac constantiae, qua Fabius iniuriam populi atque intemperantiam magistri equitum tulerit in suoque consilio perstiterit, quod Liuius legionibus diuisis Fabio secundam et tertiam euenisse refert, Plutarchus *) primam et quartam ei assignauit. insigne illud, quod Fabius cum Minucium in insidias praecipitasse uideret edidisse dicitur (Pl. XII, 9—11; Liu. 29 §. 1), propter breuitatem obscurum est apud Liuium, accuratius et clarius exprimitur a Plutarcho. iam uero animum intendamus ad orationes Minucii, quas exhibent Liuius et Plutarchus (Pl. XIII; Liu. 29 §. 8; 30 §. 5). atque orationes quidem non ita anxie Liuium ad fontes suos accommodauisse, sed saepe eloquentiae indulgentem finxisse, saepius tenuia argumenta e fontibus petita oratorum more amplificasse et ornasse satis exploratum est. ita nostrarum orationum totus ornatus Liuii ingenio tribuendus est et ansam quandam dat ad diiudicandum, quae ratio intercedat inter Liuium et Plutarchum. ac fundamenta quidem orationum communia esse Plutarcho cum Liuio apparet; habitus uero totus prorsus non concinit cum eo, sed uidetur

*) Occasione data notetur discrepantia quaedam Polybii (103, 20), qua Plutarchum non usum esse eo confirmatur. dicit enim Fabium Minucio optionem dedisse, quemadmodum aequato imperio uti mallet, cum Liuius et Plutarchus produnt (Liu. 27 §. 5—11; Pl. X, 14—20; cf. Dio. Cass. fr. Peir. 48; Zon. VIII p. 193, 16—20) Fabium tempora imperii partiri noluisse, sed ut legiones diuiderentur obtinuisse.

Plutarchi proprius esse. quid igitur statuendum est? sola fundamenta cetero ornatu spreto Plutarchum e Liuio excerpsisse ab animo impetrare non possumus ut putemus; multo sane probabilius est argumenta ex communi fonte utrumque petiuisse ac pro suo utrumque ingenio atque indole exornasse atque excoluisse. iam uero si in memoriam reuocamus discrepantias supra notatas, quibus num Liuium Plutarchus adhibuerit iam dubium est, certum uidetur nobis esse neque argumenta orationum neque omnino quidquam e Liuio sumpsisse Plutarchum, sed utrumque ex eodem fonte hausisse omnia.

Quem communem fontem Fabium Pictorem fuisse si non iam antea euicerimus etiam e totius narrationis indole magna cum ueri similitudine effici possit. nam non minus e Liuio quam e Plutarcho elucet auctorem quo usi sunt res quae ad Fabium Maximum spectant maxima cum diligentia et eximia cura exposuisse atque tam acrem Fabii defensorem ac propugnatorem se praebuisse, ut nonnunquam de fide eius dubitari debeat. quotiescunque enim fieri potest uirtutes ac merita Fabii Maximi summis laudibus efferuntur, Minucii et obtrectatorum eius temeritas et prauitas quam uehementissime corripitur. proelii, quod absente Fabio Minucius cum Hannibale inierat et de quo uarie ab auctoribus iudicatum esse e Liuio discimus (24 §. 8—14), noster auctor eam exhibet narrationem, quae laudi Fabii quam minime officit Minucii gloriam imminuit. probatam denique ac laudatam esse prudentem Fabii belli gerendi rationem ab ipso Minucio, qui acerbissimus antea aduersarius eius fuerat, qua ubertate et suauitate depingitur! talis uero narratio cui aptius tribui possit quam Q. Fabio Pictori, Fabii Maximi gentili atque aequali, quo neminem accuratius nouisse res ab illo gestas aut maiore admiratione amplexum esse et descripsisse facile intellegitur!

Venimus ad pugnae Cannensis descriptionem (Pl. XIV—XVI), quae cum Polybio nullam magnam cum Liuio similitudinem habet, ut manifestum sit aut Plutarchum e

Liuio aut utrumque ex eodem fonte hausisse. utrum probabilius sit ut discernamus, accuratius nobis inquirendum est in Liuium, qui singulari ratione huius pugnae descriptionem composuit. nam cum earum rerum quae pugnae antecesserunt narratio abhorreat a Polybio, ipsius autem pugnae descriptionis prior pars, siue spectas ad res siue obseruas ordinem rerum et singula uerba, mirum quantum concinat cum eo (Liu. XXII, 45 §. 6—47 §. 4; Pol. III, 113—115 pag. 293, 4), pars altera *) modo ualde perplexa sit et discrepet cum iis quae paulo antea narrata sunt (Liu. 45 §. 5—10; 48 §. 5—6) modo prorsus aliena sit a Polybio (Liu. 48 §. 1—4; 49), Liuium plures eosque diuersos fontes adhibuisse necesse est ut statuatur. atque initium quidem pugnae e Polybio esse sumptum non potest negari; ea autem quae secuntur Liuius praeter Polybium altero fonte usus uidetur confudisse atque obscurasse, omnia denique quae abhorrent a Polybio debere annalium

*) Primum enim mirum est quod, quamquam antea tanta uerborum similitudo fuit, ab hac paragrapho nulla conspicitur. strategema uero Hannibalis quomodo perageretur animo non percepisse uidetur Liuius. nam praeter alia quae non sunt clara uerba: „ad subsidia Afrorum" quid sibi uelint non intellegitur; pugnant autem cum Polybio uerba: „diu ac saepe connisi," „mox cornua extendendo clausere et ab tergo hostes". deinde praetermisso egregio Hasdrubalis strategemate, quod maximum momentum ad uictoriam attulisse Polybius praedicat, atque inserta in locum eius inepta transfugarum Numidarum fabula ea, quae de Hasdrubale Liuius adiecit et quae haud dubie Polybium redolent, tam sunt obscura, ut nisi comparato Polybio intellegi non possint. eadem incuria factum est, ut pugnans secum Hasdrubalem quem sinistrum cornu tenuisse antea dixerat dextri cornu praefectum nominaret. nam quod Polybius exposuit Hasdrubalem superato dextro Romanorum cornu Numidis segniter dextro cornu pugnantibus auxilium tulisse commemorare omisit Liuius. item paulo post secum repugnat si Aemilium Paulum quem dextro cornu praepositum esse dixerat mediae aciei praeesse narrat aut oblitus commemorare, quod Polybius enarrauit, Paulum suo cornu in fugam uerso in mediam aciem sese contulisse aut alium auctorem secutus, qui ut Appianus Hann. 19 mediae aciei ducem fuisse Aemilium iam in initio pugnae prodiderat.

scriptori cuidam, quem in hac historiarum parte praecipuum auctorem habuit et quem Appianum (Hann. 17—25) et Zonaram (IX, 1) ante oculos habuisse suspicari licet, quia etiamsi res grauiores praetermittentes aut peruertentes mirificas autem fabulas adicientes saepius ueram fontis sui narrationem deprauauerunt tamen plerumque de iis quae Liuius aliter atque Polybius narrauit cum Liuio consentiunt. itaque hic auctor quin Fabius Pictor fuerit non dubium nobis uidetur esse. — his expositis ad Plutarchum animum conuertamus. ac quae Liuius Polybium secutus explicuisse uidetur, eorum nihil apud Plutarchum inuenis, cum iis autem quae e Fabio hausit Liuius fere omnia quae exhibet Plutarchus concinunt et conspirant. dignum est commemoratu Plutarchum de eo ipso, quo Liuium praeter Polybium alterum fontem habuisse euincitur, cum Liuio consentire referentem ita cornua Hannibalem extendisse, ut ab tergo hostes circumuenirentur (Pl. XVI, 15). strategema uero Hannibalis, quod quomodo peractum sit e Liuii obscura et perplexa narratione non cognoscitur, breuiter et dilucide oculis subicit Plutarchus, ut Liuium eius auctorem fuisse cogitari uix possit. iam uero mirum est Plutarchum puluerem prae ceteris turbauisse Romanos commemorauisse, cum Liuius mentionem quidem facit uenti, sed multo maiorem stragem Romanorum effecisse transfugas Numidas existimauisse uidetur. itaque qui Liuii narrationem excerpsisset potius illam fraudem opinor quam uim uenti praedicauisset. consentientes uero cum Plutarcho etiam Appianus et Zonaras uehementiam pulueris maioris momenti quam ceteros dolos Hannibalis quos plures enumerant aestimasse uidentur. nullum denique uestigium apud Liuium occurrit uerborum, quae Plutarchus (XV) Hannibalem Gisgoni dicentem facit. uidemus igitur esse quibus num Liuius fons Plutarchi haberi possit in dubium uocetur, nihil uero obstare quominus Fabium Pictorem ducem fuisse Plutarchi ponamus. sed restat insignis locus, quem quaestioni nostrae lucem aliquam allaturum esse speramus. nam postquam Plutarchus aeque ac Liuius et

Appianus (Hann. 24) narrauit equites Romanos qui circa Aemilium Paulum essent, cum eum graui uulnere ictum ex equo delabentem uiderent, opinantes ad pedes descendere iussisse consulem desiluisse ex equis ac pedibus cum hoste pugnasse addit XVI, 28: *ἰδὼν δ' ὁ Ἀννίβας „Τοῦτ' ἔφη μᾶλλον ἠβουλόμην ἢ εἰ δεδεμένους παρέλαβον.“ Ἀλλὰ ταῦτα μὲν οἱ τὰς διεξοδικὰς γράψαντες ἱστορίας παρηγγέλκασι.* opponit igitur ei quem potissimum ducem habuit alterum auctorem eumque prolixiorem. iam uero Fabium Pictorem primarium habentes auctorem quis fuerit alter auctor non difficile est ad indagandum. nam cum eadem uerba Hannibalis apud Liuium (XXII, 49, 3) inueniantur: „tum denuntianti cuidam iussisse consulem ad pedes descendere equites, dixisse Hannibalem ferunt, quam mallem uinctos mihi traderet,“ uix dubitari posse putamus quin ipsum Liuium illis uerbis designauerit Plutarchus. ac suo iure Liuii historiam prolixiorem *) fuisse quam Fabii Pictoris annales dicere potuit. neque aliter in uita Marcelli narrationi suae memorabilia quaedam uerba Liuii nomine eius apposito annexuit (cf. Marc. XI, 22; XXIV, 20). si uero non Fabium sed Liuium primarium auctorem Plutarchi fuisse posueris quemadmodum uerba illa interpretaberis? nam cur ut cetera non item dictum illud quod iisdem uerbis Liuius exhibet ex eo petiuerit, sed ad alium auctorem prouocauerit non intellegitur. atque quis auctor amplius quam Liuius bellum Hannibalicum exposuerat? itaque existimamus etiam hunc locum nostrae sententiae

*) Quamquam non minus quot libris historiam suam comprehenderit Fabius Pictor quam ad quem annum eam produxerit incertum est, tamen eum, qui princeps Romanorum ad res conscribendas accessit, non tam prolixam historiam edidisse quam Liuium, cui tot et tam uarii annales praesto erant et qui de uno bello Hannibalico decem libros composuit, cum res ipsa docet tum testatur locus quidam Gellii, Noct. Att. V, 4, e quo perspicitur quae Liuii libro sexto continentur ea in Fabii quarto conscripta fuisse. utrumque autem a primordiis urbis initium fecisse nemo ignorat.

fidem addere et aeque atque antea Plutarchum et Liuium e Fabio Pictore hausisse, Polybium uero in hac pugna describenda longius ab eo recessisse.

Quae in proximis capitibus Plutarchus exponit de perturbatione Romae orta allato nuntio Cannensis calamitatis et de emolumentis, quae Hannibal e uictoria illa perceperit, nec discrepant a Liuio nec singularia similitudinis indicia praebent, e quibus hausisse Plutarchum e Liuio concludendum sit. itaque eandem quam antea obseruauimus rationem inter eos intercedere probabile est. Liuium autem Fabium Pictorem auctorem habuisse haud scio an conici possit ex eo, quod tam accurate Liuius de Fabio Pictore legato Delphos misso et de responso Romam ab eo relato agit (XXII, 57; XXIII, 11). insignis Marcelli et Fabii Maximi comparatio *) ex ipsius Plutarchi ingenio manauit. narratiunculas uero quibus Fabii humanitas illustratur (cap. XX) aliis auctoribus se debere ipse indicare uidetur uerbis: *λέγεται δέ; ταῦτα μὲν οὖν περὶ τούτων ἱστοροῦσι.* neque Liuius ullam earum mentionem fecit.

Paulo longius commoratur in describenda expugnatione Tarenti (XXI—XXIII). ac plures eum hoc loco auctores consuluisse patet ex eo, quod duplicem de muliere quae Bruttium quendam ad prodendam urbem perlexisse dicitur famam prodit (XXI, 23: *ταῦτα μὲν οὖν οἱ πλεῖστοι γράφουσι περὶ τούτων· ἔνιοι δὲ κ. τ. λ.*). sed ad quos auctores prouocauerit explorari non potest, quia Polybio non superstite Appiano (Hann. 49) et Zonara (IX, 5) rem magis attingentibus quam explicantibus cum solo Liuio

*) Plutarchum cap. XIX non magis uerbis: *ὥσπερ ἐν τοῖς περὶ αὐτοῦ γεγραμμένοις εἴρηται* quam cap. XXII uerbis: *ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γέγραπται* (agitur utroque loco de Marcello) non auctorem aliquem qui peculiarem de Marcello libellum scripserit laudare, sed nos ad ipsius uitam Marcelli (cap. I; IX; XXI) reuocare in aperto est. sed ex eo quod in uita Fabii Maximi relegat ad uitam Marcelli concludi potest eum uitam Marcelli prius composuisse quam uitam Fabii.

Plutarchum comparare licet (Liu. XXVII, 15—16; 25). atque Liuium quidem uidemus hoc loco non minus quam antea in uniuersum conspirare cum Plutarcho duplicisque famae eandem quam probauit Plutarchus exhibere, sed nonnunquam ita ab eo discedere ut eius auctor haberi non possit. ne leuiores discrepantias cumulemus nonnulla afferemus, quibus ita rem esse euincitur. nam pro incredibili ui auri e direpto Tarento in aerarium delati (16 §. 7: „argenti uis ingens facti signatique, auri LXXXIII milia pondo“), quae Valerium Antiatem quem immodicum fuisse in numeris augendis nemo ignorat redolet, Plutarchus multo minorem ac probabiliorem summam exhibet, quae ne quartam quidem partem Liuianae summae explet (*ἀνηνέχθη δ'εἰς τὸ δημόσιον τρισχίλια τάλαντα*). deinde Liuius signis ac tabulis Tarentinorum sese abstinuisse Fabium dicit, Plutarcho auctore Fabius peramplum Herculis signum Romam deportauit et ipse sibi statuam aeneam equestrem in Capitolio posuit. alterius triumphi a Fabio de Tarentinis acti mentionem facit Plutarchus, non item Liuius, qui (XXVII, 20, 9) nihil dicit nisi: „Fabio Tarentum captum astu magis quam uirtute gloriae tamen esse.“ itaque cum item ut in cetera parte uitae Plutarchus et Liuius comparati sint, fontem utriusque hoc loco eundem fuisse atque antea ueri simillimum est.

Similis est ratio in iis quae restant. narratiuncularum quas cap. XXIV exhibet Plutarchus altera uniuerse concinit cum Liuio XXIV, 44, quamquam perperam hoc loco narrata est a Plutarcho, quia iam quattuor annis ante Tarentum captum filius consulatu functus erat, alteram in undecimo libro Liuii fuisse ueri simile est. pugnant uero inter se, quod celeberrimum illum Q. Fabium Maximum Rullianum proauum Verrucosi Plutarchus dicit, Liuius auum (XXX, 26). Fabium filio mortuo parentauisse ut prodat Liuius tantum abest, ut filium post mortem patris augurem in locum eius inauguratum esse narret (XXX, 26). Fabium mira cum constantia atque offirmata uoluntate consiliis Scipionis, qui cautam Fabii

belli gerendi rationem aspernatus bellum ex Italia in Africam transtulit, aduersatum esse et Liuius et Plutarchus narrant. mortuum uero Fabium aere a ciuibus collato esse elatum atque ut patrem patriae esse cultum non memorat Liuius; cf. Valer. Max. V, 2, 3.

Singulis igitur uitae locis perlustratis paucis comprehendamus quae quaestione nostra effecisse nos arbitramur. totam hanc uitam exceptis paucis, quae de moribus Fabii Maximi disseruntur et ex aliis fontibus adiecta sunt, e Q. Fabii Pictoris Graecis annalibus hausit Plutarchus eosque accuratissime secutus est, ut saepius ipsa uerba retineret. nonnunquam autem uerbo tetigit aut praetermisit ut solet res grauioris momenti, narratiunculas quibus mores uirorum clarorum illustrari putabat cupide arripuit et copiosius exposuit. non usus est Liuio, nisi forte praeclarum illud dictum Hannibalis ei tribuendum esse uideatur. prorsus neglexit Polybium. sed quoniam Liuius in hac historiarum parte aeque ac Plutarchus Fabium Pictorem praecipuum habuit auctorem, praeter eum autem non solum Polybium sed etiam alios annalium scriptores consuluit, factum est ut in uniuersum cum Plutarcho conspiret, de nonnullis uero discrepet cum eo. eundem denique Fabium Pictorem adhibuit Polybius. at quia non ut ceteri uestigia eius pressit, sed caute eo usus est nunquam non examinans ac corrigens quae ille tradiderat, multo rarius cum Liuio et Plutarcho consentit.

Transeamus ad uitam Marcelli. ac cum Plutarchum in describendis uitis eorum uirorum, qui non modo iisdem temporibus uixerunt sed etiam iisdem bellis interfuerunt, qui per multos annos aut eodem tempore aut alternis summum imperium reipublicae maximis periculis pressae ac grauissimis cladibus concussae administrabant et quorum consilia ac facta in reprimendo Hannibale nonnunquam artissime inter se cohaerebant, iisdem fontibus usum esse suspicari possimus, nulla ratione habita auctorum a Plutarcho laudatorum eandem quam antea instituimus argumentandi uiam persequamur. neque uero tanta nobis subsidia praesto sunt quanta supra suppeditabant. nam cum Polybii historia paucis exceptis fragmentis non superstes sit, Appianus et Zonaras de rebus a Marcello gestis tanta breuitate egerint, ut fere nullus fructus ex iis percipi possit, prope solus Liuius restat. ac ne eum quidem ubique comparare licet, quia liber uicesimus quo bellum contra Insubres gestum comprehendebatur non tulit aetatem. quae cum ita sint quamquam minus certe quam in uita Fabii Maximi de Plutarchi fontibus conici posse in aperto est, tamen non irritam comparationem auctorum qui supersunt fore existimamus.

Postquam Plutarchus in primis capitibus dixit de genere et moribus Marcelli, cap. III—VIII bellum cum Gallis ab anno 225 usque ad annum 222 gestum enarrat. de eodem bello agunt Polybius II, 23—34; Zonaras VIII, 20. quod Liuii belli narratio interiit ualde est dolendum. quam lacunam aliqua ex parte explent Eutropius III, 5, 6 et Orosius IV, 13, quos historiam Liuii excerpsisse cum ubi ipsum Liuium comparare licet certissimis argumentis

demonstratum sit hoc loco optimo iure conicitur, praesertim cum nunquam inter se dissentiant, ab Eutropio autem pendere Orosium qui multo fusius res exposuerit credi non possit. atque non solum quae narrauit Liuius summatim referunt, sed etiam unde hauserit ea docent nos. de ingenti enim belli apparatu disserentes adiciunt Eutropius: „traditumque est a Fabio historico qui ei bello interfuit," Orosius: „sicut Fabius historicus qui eidem bello interfuit scripsit." non autem ipsius Fabii Pictoris annales eos inspexisse, sed nomen eius e Liuio transscripsisse nemo non intellegit. iam uero cum Zonarae uberior belli descriptio concinat et congruat cum Eutropio et Orosio, uix dubitari potest quin item Dio Cassius, quem exscripsit Zonaras, atque Liuius Fabium Pictorem auctorem habuerit. ab hac uero Fabiana narratione quamquam saepe plurimum distat Polybius, *) tamen Fabium Pictorem ab eo consultum esse cum aliis quae conspirant cum ceteris auctoribus tum (II, 28) uerbis: *ἴδιον ἦν καὶ θαυμαστὸν τὸ συμβαῖνον τοῖς ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ τότε παροῦσιν* significari uidetur. — his explanatis quid de Plutarcho iudicandum sit uideamus. ac Polybium quidem fontem eius non fuisse in aperto est, quia multa fuse narrat Plutarchus, quorum nullum apud Polybium est uestigium, et de Mediolano capto aeque atque ceteri auctores dissentit ab eo. simillima autem sunt quae Plutarchus prodidit ei belli descriptioni, quam e tribus illis auctoribus eruere ac Fabianam dicere possumus. nam mirum quantum consentit de Gaesatorum nomine interpretando cum Orosio, de ingenti perturbatione et apparatu Romanorum cum omnibus, de Gallo et Galla, Graeco

---

*) Non conciliari possunt cum ceteris auctoribus quae Polybius de primis proeliis L. Aemilio Papo C. Atilio Regulo coss. commissis exposuit, tum non secundo sed tertio belli anno Romanos trans Padum legiones duxisse tradit. ab solo denique Scipione absente Marcello Mediolanum expugnatum esse haud scio an Scipionibus fauturus narrauerit. praeterea quia de rebus Gallicis *κεφαλαιωδῶς* (II, 14) tantummodo agere sibi proposuerat multa perstrinxit aut omisit.

et Graeca in foro boario uiuis defossis cum Oros. et Zon. (et Dione Cassio excerpt. Vales. 12), de diris prodigiis cum Oros. et Zon., de rebus a Flaminio consule inuito senatu prospere gestis, de magistratu ei abrogato triumpho decreto de bello a Marcello redintegrato cum Zon., de illustri eius uictoria cum omnibus, de Virdomaro rege a Marcello occiso cum Liuii epit. XX., Eutrop., Oros., de bello ab ambobus consulibus peracto cum Oros. et Zon. copiosius describit insigne fortitudinis exemplum, quod Marcellus hostium duce percusso spoliisque opimis ex eo relatis ediderat. solus memorat III, 16 sacerdotes bello Gallico flagrante militiae uacationem non habuisse ac VIII, 38 superatis Gallis e praeda Delphos et Hieroni Syracusarum regi dona esse missa. neque nos offendere potest, quod regem Gaesatorum a Marcello interfectum Plutarchus *Βριτόμαρτον*, omnes auctores Romani *) Virdomarum aut paululum discrepantes Virdumarum, Viridomarum, Viriodomarum nominant. nam nomen illud barbarum ac durum a Graecae linguae lenitate abhorrens Graeco ori accommodatum uidetur esse. cum alio autem duce Gallorum Brittomaro, quem ab Aemilio consule uictum esse solus Florus II, 4 prodidit, Plutarchum Virdomarum confudisse, quod quis opinari possit, credi non potest, quia non solum in libro quo hoc loco usus est sed etiam apud Varronem, ubi fieri non potuit ut duorum Gallorum nomina confunderentur, idem nomen legit (cf. Plut. Marc. VIII; Romul. XVI; Fest. u. opima spolia, pag. 186 et quae postea de iis locis exponemus). aliquid differt Plutarchus a Zonara, qui cum Polybio II, 34 consentiens Gallis petentibus pacem non esse concessam tradidit, cum dicit pacem quam dissuasisset Marcellus re factam, a Gallis autem ruptam esse. quodsi uero XXX milia Gaesatorum apud

---

*) Liu. ep. XX; Flor. II, 4; Eutrop. III, 6; Oros. IV, 13; Aurel. Vict. 45; Propert. IV, 10, 41; Seru. ad Aen. VI, 856; Fest. u. opima spolia, pag. 186 (Müll.); acta triumph. Capitol. in corp. inscr. I p. 458.

Clastidium deleta esse Orosius refert, Plutarcho auctore autem X tantum milia eo profecta sunt, non tam Plutarchum errasse putauerimus quam Orosium caesorum numerum cum toto Gaesatorum numero confudisse. nam XXX milia eos fuisse non modo Plutarchus sed etiam Polybius (II, 34) tradunt. quae utcunque sese habent non sunt impedimento, quominus pro certo statuatur Plutarchi belli narrationem esse eandem quam e Fabio Pictore manasse cognouimus. quam utrum ex ipsius Fabii annalibus an e Liuio hauserit Plutarchus ex hac comparatione erui non potest. sed cum in uita Fabii Maximi Pictorem auctorem praecipuum fuisse uiderimus, in nostra autem uita Liuium potissimum auctorem haberi non posse mox demonstraturi simus, hoc loco ipsum Fabium Pictorem ante oculos habuisse Plutarchum nobis persuasum est. — eidem autem fonti exempla religionis anxie a Romanis obseruatae (cap. V) non tribuenda esse atque ex aliis fontibus ea, quae de spoliis opimis Ioui Feretrio dedicatis (cap. VIII) fuse disseruntur, sumpta esse facile intellegitur.

In proximis capitibus narrantur proelia circa Nolam urbem a Marcello contra Hannibalem commissa. comparari hoc loco potest solus Liuius XXIII, 15—16; 42—46. Liuium autem, quamquam similitudines quasdam inter eum et Plutarchum intercedere negare nolumus, fontem Plutarchi non fuisse luce est clarius. nam ut e multis quae discrepant inter eos pauca afferamus, cap. X come alloquium, quo Marcellus Bantium Poenorum partibus fauentem sibi conciliauit, aliter finxit Plutarchus atque Liuius cap. 15; cap. XI, 10—18 ex eruptione a Marcello facta perspicitur aliam fuisse copiarum collocationem apud Plutarchum quam apud Liuium 16 §. 8; cap. XII, 10—12 Plutarchus Marcellum prouocatum ab Hannibale pugnam detrectasse significat, cum Liuius 44 §. 3—5 Marcellum eruptione facta atrociter cum Hannibale pugnasse narrat; cap. XII, 14 Plutarchus solus memorat Marcellum Romanorum pedites praelongis sociorum naualium hastis instruxisse. sed longe maioris his discrepantiis momenti est

ipsius Plutarchi testimonium (XI, 22—27). nam postquam ut iam monuimus de aciebus instructis a Liuio dissentiens eruptionem a Marcello in hostes factam narrauit ita pergit: *Λέγονται γὰρ ὑπὲρ πεντακισχιλίους ἀποθανεῖν, ἀποκτεῖναι δὲ Ῥωμαίων οὐ πλείονας ἢ πεντακοσίους. Ὁ δὲ Λίβιος οὕτω μὲν οὐ διαβεβαιοῦται γενέσθαι μεγάλην ἧτταν οὐδὲ πεσεῖν νεκροὺς τοσούτους τῶν πολεμίων, κλέος δὲ μέγα Μαρκέλλῳ καὶ Ῥωμαίοις ἐκ κακῶν θάρσος ἀπὸ τῆς μάχης ἐκείνης ὑπάρξαι θαυμαστὸν, οὐχ ὡς πρὸς ἄμαχον οὐδὲ ἀήττητον, ἀλλά τι καὶ παθεῖν δυνάμενον διαγωνιζομένοις πολέμιον.* respexit autem Plutarchus ad Liu. XXIII, 16 §. 15—16: „uix equidem ausim affirmare quod quidam auctores sunt duo milia et octingentos hostium caesos non plus quingentis Romanorum amissis. sed siue tanta siue minor uictoria fuit, ingens eo die res ac nescio an maxima illo bello gesta sit: non uinci enim ab Hannibale uincentibus difficilius fuit quam postea uincere.“ cum igitur ne caesorum quidem numerum qui in eodem Liuii loco erat — neque numerum apud Liuium corruptum esse, quamquam extrema loci uerba corrupta esse iam dudum cognitum est, ulla est causa cur suspicemur — receperit Plutarchus, patet e Liuio solam illam sententiam petitam esse, caesorum autem numerum non minus quam ceteram rei gestae narrationem ex alio fonte sumpta esse. ac Liuii uerba ne inspexisse quidem cum locum illum scripsit sed ex memoria reddidisse uidetur Plutarchus, quia parum accurate eius sententiam transtulit, alia addidit, alia inuertit. etiamsi extrema Liuii uerba non iam integra sunt, tamen quam sententiam proposuerit Liuius non potest dubium esse. erat fere talis: „non uinci enim ab Hannibale uince[re disce]ntibus difficilius fuit quam postea uincere,“ sicut Madwigius, emend. Liu. pag. 262, an. 2 proposuit. ab qua plurimum distare quae Plutarchus exhibet manifestum est. — neque magis Polybium fontem Plutarchi fuisse, quamquam ipsum de his rebus consulere nobis non licet, haud dubie colligitur ex eo quod Plutarchus iustam apud Nolam uictoriam Marcellum de Hanni-

bale reportauisse tradit (XII, 17), Polybius autem identidem ante cladem apud Zamam acceptam nunquam uictum esse Hannibalem contendit (XV 11; 16; IX, 3).

Non item subsidiis e quibus de Plutarchi fonte conici possit caremus in ea quae sequitur uitae parte, in qua copiose describuntur Syracusae a Marcello oppugnatae atque expugnatae (XIII—XIX). nam praeter fusam Liuii narrationem (XXIV, 4—7; 21—39; XXV, 23—31) haud exigua fragmenta Polybii supersunt (VII, 2—7; VIII, 5—9; 36; 37). Appiani unum fragmentum superstes est (Sicil. 4), in quo crimini datur Marcello quod nimia crudelitate ac perfidia in uictos Siculos animaduerterit. nulla ratio habenda est Dionis Cassii (apud Tzetz. Chil. II hist. 35, 24—35) aut Zonarae IX, 5, quos cum praeter alias machinas etiam specula ad incendendas Romanorum naues Archimedem adhibuisse memorent — quae fabula apud nullum nostrorum auctorum occurrit — posterioris aetatis auctoribus usos esse perspicuum est. proficisci uero debet tota nostra quaestio a Polybio, quem amplissime res Siculas narrauisse fragmenta testentur cuiusque fragmentis copia nobis fiat non solum de Liuii sed etiam de Plutarchi fontibus satis certo iudicandi. sed priusquam in Plutarchi fontes inquiramus, statuemus quae ratio inter Liuium et Polybium intercedat. ac cum primo fragmento Polybii (VII, 2—5), in quo agitur de societate ab Hieronymo, cui puero post mortem Hieronis regnum translatum erat, cum Carthaginiensibus icta, ita conspirat Liuius XXIV, 6, ut eum aliis praetermissis aliis in angustum coactis Polybium reddidisse iure suspicari possimus. quae de Leontinorum urbis situ, Hieronis ac Gelonis moribus exposuit Polybius VII, 6—7 non attigit Liuius. de oppugnatione uero Syracusarum, quae apud Polybium integra superstes est (VIII, 5—9), Liuius eodem modo ut antea cum Polybio consentit (Liu. XXIV, 33 §. 9—34). accuratissimus enim ordo uariorum conatorum Marcelli machinarumque Archimedis, qui sine dubio diligentiae Polybii tribuendus est, prorsus idem est apud Liuium; descriptio apparatus, quem Marcellus ad oppu-

gnandam Archimedes ad defendendam urbem instruxerunt, plerumque tam est similis, ut uertisse Liuium Polybium putes. nimis uero res perstringere studens quaedam obscurauit aut inuertit Liuius, impetus nocte a Marcello facti nullam mentionem fecit. at cum sambucarum, quas iunctis binis quinqueremibus impositas esse accuratissime descripsit Polybius, nullam mentionem fecerit Liuius, sed turres contabulatas machinamentaque alia in illis nauibus exstructa esse prodiderit, eum praeter Polybium alterum auctorem consuluisse necesse est ut existimemus. item quae restant quinque fragmenta Polybii (VIII, 36; 37) quamuis sint exigua testantur etiam in expugnatione Syracusarum describenda Liuium Polybii uestigia pressisse. quae cum ita sint omnino in rebus Siculis narrandis Liuium Polybii auctoritatem secutum esse, raro alterum auctorem consuluisse probabile est. — atque etiam quae Plutarchus de rebus Siculis exposuit cum hac Polybiana narratione in uniuersum congruunt, ut nulla sit controuersia quin uinculo quodam cohaereant cum ea. similitudines uero num ex adhibito Polybio an e Liuio an e communi et a Polybio et a Plutarcho usurpato fonte fluxerint diligentius quaerendum est. ac Liuium quidem Plutarchi fontem non fuisse certum est. nam ut omittamus dicere de leuioribus discrepantiis de eo, quod Liuius alium auctorem secutus aliter ac Polybius exposuit, Plutarchus facit cum Polybio atque exhibet id, quod Liuius praetermisit, pluribus agens de sambuca et de impetu nocte a Marcello suscepto. patet Plutarchum propius accedere ad Polybium. sed ne eo quidem usus est. nam ad externam speciem respiciens nullam reperies aut dictionis aut dispositionis similitudinem, quod sane mirum esset, si praecipuum auctorem Plutarchus habuisset Polybium. atque pugnant etiam inter se, cum Plutarchus prodit Marcellum octo quinqueremes uno magno iugo colligasse in eoque sambucam exstruxisse (XIV, 17; XV, 19), Polybius autem dilucide explicat octo quinqueremium binas, alteri remis dextris alteri sinistris demptis nudisque lateribus copulatis, singulis sambucis instructas ac uelut unam

nauem exteriore ordine remorum actas esse (VIII, 6). quam tam copiosam ac claram descriptionem Polybii qui ante oculos habet ut perperam interpretetur fieri non potest. itaque necesse est ut alium Plutarchus habuerit auctorem, qui apparatum Marcelli aut item ac Plutarchus aut strictim ac minus clare descripserit, ut illum errore lapsum esse putari possit. accedit quod alter naues una cum machina illa sambucae speciem praebuisse (Pol. VIII, 6), alter ipsam machinam sambucae similem fuisse dicit (Plut. XV, 20). ac si recte Liuium Polybii narrationem fere integram exhibere statuimus, fortasse Plutarchi et Polybii discrimen existimandum est, quod Liuius XXV, 23 §. 3 dicit turrem, iuxta quam Romani murum transscendebant, intentius custoditam esse, Plutarchus autem XVIII, 13 turrem eandem praesidio defensam esse tradit. itaque si nec Liuius nec Polybius fons fuit Plutarchi, similitudinum quae alia esse potest causa quam idem et a Polybio et a Plutarcho usurpatus auctor, quem Fabium Pictorem esse supra probauimus. — aut ipsius Plutarchi doctrinae aut aliis fontibus assignanda sunt quae de disciplina mechanica et praestantia geometriae, de moribus diuinoque ingenio Archimedis disputauit (XIV, 21—60; XVII, 16—47). e uariis auctoribus narratiunculas interfecti a milite Romano Archimedis congessisse uidetur. atque primam earum Fabio Pictori deberi ueri simile est, ceterarum autem auctores qui fuerint indicari non potest, quia qui accuratius de morte Archimedis egerunt (Valer. Max. VIII, 7 ext. 7; Zonar. IX, 5; cf. Tzetz. fragm. supra laudatum) cum nulla conspirant. quae (cap. XX) de Nicia exponuntur e Posidonio esse sumpta ipse Plutarchus professus est.

Ut antea item in iis quae secuntur capitibus in uniuersum consentit Plutarchus cum Liuio, qui solus easdem res paulo amplius narrauit. Marcellum ornamentis captarum Syracusarum pulcherrimis Romam deportatis primum Romanos Graecarum artium opera mirari docuisse, multorum autem inuidiam sibi contraxisse, tamquam ciuium ani-

mos a pristina sinceritate ac seueritate auerteret, significat Liuius XXV, 40, copiose explanat Plutarchus XXI. tum consentiens cum Liuio (XXVI, 21) prodit Marcellum triumpho *) negato, quia nondum debellatum esset in Sicilia, in monte Albano triumphasse atque ouantem in urbem intrasse (XXII). quae uero de triumphi et ouationis discrimine ac de nomine ouationis disseruit Plutarchus ex opere aliquo, quod antiquitates Romanas complectebatur, petita esse manifestum est. accusatus uero nimiae iniquitatis ac crudelitatis a Siculis Marcellus pari modo purgatur ac laudibus celebratur (cf. contrarium iudicium Appiani Sicil. 4 et Diodori fragm. libri XXVI). eum enim se defendisse in senatu coram calumniatoribus, absolutum autem ueniam petentibus ignouisse atque exquisitis honoribus ab iis affectum esse uterque narrat (Plut. XXIII; Liu. XXVI, 29—32). de singulis autem ita inter se discrepant, ut Liuius Plutarchi fons haberi non possit. neque opus est omnes discrepantias quae satis conspicuae sint enumerare.

A capite XXIV—XXVI propius Plutarchi narratio accedit ad Liuium. nam de singulis rebus domi bellique actis ita consentiunt, ut quae fusius Liuius exposuit Plutarchus in breuius coegisse uideatur (Liu. XXVII, 1—2; 4—5; 12—14). praeterea insignia quaedam dicta Marcelli et Hannibalis apud utrumque ita comparata sunt, ut Plutarchus Liuii uerba uertisse uideatur. accedit quod ipse Plutarchus XXIV, 20 ad Liuium prouocauit. sed priusquam diiudicemus hanc quaestionem, paulo accuratius in locum in quo Liuii nomen laudatur a Plutarcho inquiramus. postquam enim narrauit Cn. Fuluium proconsulem cum exercitu deletum esse haec dicit: *ἔπεμψεν* (Marcellus) *εἰς Ῥώμην γράμματα τοὺς πολίτας παρακαλῶν θαῤῥεῖν· αὐτὸς γὰρ ἤδη βαδίζειν ὡς ἀφέλοιτο τὴν χαρὰν τοῦ Ἀννίβου.*

---

*) Notetur Plutarchum referre tertium triumphum petiuisse Marcellum in eaque opinione perstare in comp. Pelop. et Marc. III, altero triumpho neque ab ipso neque ab ullo auctore commemorato.

καὶ ταῦτα μὲν ὁ Λίβιός φησιν ἀναγνωσθέντα τὰ γράμματα μὴ τῆς λύπης ἀφελεῖν, ἀλλὰ τῷ φόβῳ προσθεῖναι, τῶν Ῥωμαίων μεῖζον ἡγουμένων τοῦ γεγονότος τό κινδυνευόμενον ὅσῳ Φουλβίου κρείττων ἦν Μάρκελλος. atque respexit Plutarchus ad Liuii locum XXVII, 2: „Marcellus nihil admodum tanta clade territus litteris Romam ad senatum de duce et exercitu ad Herdoneam amisso scribit: ceterum eundem se, qui post Cannensem pugnam ferocem uictoria Hannibalem contudisset, ire aduersus eum, breuem illi laetitiam, qua exsultet, facturum. *et Romae quidem cum luctus ingens ex praeterito tum timor in futurum erat.*“ uides parum accurate Plutarchum sententiam quam exhibet Liuius expressisse atque timoris causam ita annexuisse, ut Liuii esse uideatur, quamquam nullum eius apud Liuium est uestigium. tali incuria eum usum esse in reddendis aliorum auctorum locis ubi ad ipsos nominatim prouocat mirum est. etiam magis autem est mirum aut cogitari uix potest eum nostrum locum tam neglegenter reddidisse, si Liuium in tota rerum narratione praecipuum auctorem habuisset ac pedetentim et tam accurate secutus esset. multo sane ueri similius est Plutarchum illam Liuii sententiam ex memoria attulisse, sicut antea eum simile iudicium Liuii non minus neglegenter narrationi suae adiecisse euicimus et mox eum ipso Liuio non inspecto in errorem qui excusari non potest incidisse uidebimus (XXX, 20). ita autem si statuimus, consentaneum est ceterarum rerum narratarum fontem non Liuium sed alium auctorem fuisse. similitudines uero quae inter Liuium et Plutarchum intercedunt etiam e communi ab utroque diligenter usurpato fonte posse ortas esse nemo non concedet. sed sunt etiam quibus suspitio quam excitauimus augeatur. ac primum quae Plutarchus post acerbam orationem, qua Marcellus milites altero die in fugam uersos corripuerat, sub finem cap. XXV exhibet: *δὶ ἃ πολλῶν ἀπὸ τῆς μάχης ἐπικινδύνως καὶ πονήρως ἐχόντων οὐδένα φασὶν ὃν οἱ Μαρκέλλου λόγοι τῶν τραυμάτων οὐχὶ μᾶλλον ἤλγυναν* non inuenies apud Liuium. deinde discrepantiae quaedam

extant. Liuius enim (XXVII, 13, 11) refert Marcellum pronuntiasse se cohortes a quibus fuga orta esset insequenti die in primam aciem inducturum esse, cum Plutarchus (XXVI, 2) ipsas cohortes orauisse Marcellum ut in prima acie constituerentur dicit. praeterea Plutarchus prodit Marcellum, cum profligatum tertio die Hannibalem quominus e uestigio insequeretur multitudine sauciorum impediretur, lente in Campaniam duxisse (XXVI, 27) Sinuessaeque aestiua egisse, ut debilitatae tot laboribus ac uulneribus militum uires reficerentur. atque aquas Sinuessanas (cf. Liu. XXII, 13, 10) haud dubie in insequenti capite rursus significat, cum Publicium Bibulum, Marcelli obtrectatorem, contionantem facit: *ἐπεὶ Μάρκελλος μικρὰ τῷ πολέμῳ προσγεγυμνασμένος ὥσπερ ἐκ παλαίστρας ἐπὶ θερμὰ λουτρὰ θεραπεύσων ἑαυτὸν τέτραπται.* contra Liuius memorat non semel sed multis locis (XXVII, 20 §. 10, 12; 21 §. 3, 7; 22 §. 2; 25 §. 10, 12) Marcellum in tecta Venusiae exercitum abduxisse. uides igitur neque apud Plutarchum neque apud Liuium nomen urbis posse corruptum esse, fieri autem non potuisse ut Plutarchus ita a Liuio discederet, si perpetuo eum ante oculos habuisset. haec omnia si tecum reputaueris, huius partis uitae, quamquam fere omnia concinunt cum Liuio, fontem potius eundem auctorem quo etiam Liuius usus est quam ipsum Liuium fuisse, illam uero Liuii sententiam ex memoria adiectam esse a Plutarcho iudicabis.

Quae Plutarchus cap. XXVII dicit de criminatione Publicii Bibuli tribuni plebis, qui de abrogando imperio Marcelli egerit, de aedibus Honori ac Virtuti a Marcello dedicatis, de seditione Etruriae ab eodem sedata, de prodigiis, quae impedimento fuerint quominus Marcellus copias educeret aduersus Hannibalem, inueniuntur apud Liuium (XXVII, 20—25), tamen non aeque concinunt cum eo atque ea, quae proxime perlustrauimus. pulchram et insignem excelsi animi Marcelli adumbrationem de suo adiecit Plutarchus.

Accedimus ad extremam uitae partem, cum qua

praeter Liuium (XXVII, 25—27) etiam fragmentum Polybii (X, 32) comparare licet. omnes uero in uniuersum consentiunt inter se referentes Marcellum speculandi causa cum collega ac paucis equitibus in tumulum quendam profectum ab Numidis in insidiis positis circumuentum lancea transfixum esse ac discrepant ab Appiano, qui (Hann. 50) Marcellum temere Numidas praedam agentes adortum interfectum esse tradit. statuendum igitur nobis est quae ratio inter tres illos auctores intercedat. atque e Polybio quidem nec Liuium nec Plutarchum hausisse facile intellegitur, quia multo amplius rem enarrant quam Polybius, a quo ne Fregellanorum quidem, quos in illo certamine tam egregia fortitudinis exempla edidisse illi praedicant, fit mentio, de numero uero equitum consules comitantium quem omnes definiunt dissentiunt ab eo. accedit quod secundum Liuium et Plutarchum Numidae certo Hannibalis consilio in insidiis locantur, secundum Polybium autem casu quodam in tumulum illum peruenisse uidentur. Liuius autem et Plutarchus non modo in uniuersum sed etiam de singulis miro modo conspirant. in tanta autem singulorum similitudine eo magis mirum est quod de una re inter se dissentiunt et pugnant. ab utroque enim narratur copias ad oppugnandos Locros missas in insidias ab Hannibale sub Petiliae tumulo structas incidisse. pugnant uero secum copiis Liuio auctore a Tarento accitis, Plutarcho auctore a consulibus missis. tum Liuius duo milia Plu-chus duo milia et quingentos esse caesos refert. itaque in dubium saltem uocatur num Liuius fons fuerit Plutarchi. quam dubitationem non esse uanam argumento firmissimo comprobatur. Plutarchus enim (cap. XXX) de morte Marcelli agens postquam narrauit corpore eius decenti ornatu culto ac combusto ossa cistae argenteae inclusa corona aurea adiecta ab Hannibale ad filium esse missa, in itinere uero impetu a Numidis cistae pretiosae cupidis in eos qui deportarent illam facto dissipata neque denuo collecta esse, haec addit: *ταῦτα μὲν οὖν οἱ περὶ Κορνήλιον Νέπωτα καὶ Οὐαλέριον Μάξιμον ἱστορήκασι.*

Λίβιος δὲ καὶ Καῖσαρ ὁ Σεβαστὸς κομισθῆναι τὴν ὑδρίαν πρὸς τὸν υἱὸν εἰρήκασι καὶ ταφῆναι λαμπρῶς. Cornelius Nepos ac Caesar Augustus num ita rem tradiderint constitui non potest. quamquam fuisse eam famam, cuius auctorem nominat Plutarchus Cornelium Nepotem, discimus ex Aurelio Victore, qui (de uir. ill. 45) „ossa Marcelli Romam ab Hannibale remissa a praedonibus intercepta periisse" memorat. falsa uero sunt, quae a Valerio Maximo et Liuio narrata esse contendit Plutarchus. nam uterque nihil nisi Marcellum sepultum esse ab Hannibale tradidit; Val. Max. V, 1, ext. 6: „Hannibal M. Marcellum in agro Bruttio, dum conatus Poenorum cupidius quam consideratius speculatur, interemptum legitimo funere extulit Punicoque sagulo et corona donatum laurea rogo imposuit"; Liu. XXVII, 28: „ibi inuentum corpus Marcelli sepelit." neque Valerius ossium a Numidis disiectorum neque Liuius ossium Romam delatorum ullam faciunt mentionem. quem errorem utcunque ortum esse existimamus, Plutarchum scribentem illa nec Valerium nec Liuium inspexisse certum est. si uero ne ante oculos quidem habuit Liuium in eoque laudando tam neglegentem sese praebuit, necesse est ut ea, quae tam accurate concinunt cum Liuio, ex alio auctore quo etiam diligentissime usus erat Liuius mutuatum esse Plutarchum iudicemus. — quae extremo loco Plutarchus exponit de statuis Marcello positis ac de posteris eius aut Posidonio qui laudatur debet aut de suo adiecit.

Demonstrauimus igitur Plutarchum in uita Marcelli scribenda Liuii historiam non ante oculos habuisse, lecta autem ea quondam memorabiles quasdam sententias Liuii memoria retinuisse. nihilo minus fere tota rerum narratio Plutarchi tam similis est Liuio, ut eodem fonte utrumque usum esse existimari debeat. atque etiam Plutarchi et Polybii narrationes ita comparatae sunt, ut utrumque e communi fonte hausisse probabile sit. itaque cum inter tres auctores eadem ratio in hac uita intercedat atque in uita Fabii Maximi neque diuersos fontes in narrandis rebus a Fabio Maximo et Marcello gestis, quae tam arte

inter se coniunctae essent, eos adhibuisse credi possit, Fabium Pictorem autem Liuii fontem saltem in bello Gallico narrando fuisse probauerimus, nulla controuersia nobis uidetur esse quin aeque atque antea omnia, quae congruunt aut inter Plutarchum et Liuium aut inter Plutarchum et Polybium, e Q. Fabii Pictoris annalibus manauerint. huic uero rerum narrationi e Fabio Pictore desumptae Plutarchus ubicunque occasio data est ac saepius ut in uita Fabii Maximi narratiunculas ad mores Marcelli adumbrandos et res ad antiquitates spectantes ex uariis auctoribus immiscuit.

Contra hanc sententiam non ueremur ne quis dicat Fabium Pictorem neque a Plutarcho in his uitis neque ab ullo auctore post pugnam Cannensem laudatum esse. nam ueteres non eadem cura atque nostri quidquid ex auctore aliquo petebant nomine eius apposito profitebantur, sed auctores nominare non solebant nisi uariam rei alicuius famam esse animaduertebant aut singulare quiddam ex alio auctore adicere uolebant. ita haud raro factum est, ut ne eorum quidem auctorum quorum potissimum auctoritatem secuti sunt nomina adderent. atque ut in nostris uitis Plutarchum Fabium Pictorem celauisse uidimus, ita totam fere uitam Publicolae e Valerio Antiate excerptam esse nulla eius mentione facta demonstrauit Kiessling in dissertatione s. l. pag. 24. neque magis ex eo quod ad Fabium Pictorem post pugnam apud Trasumennum commissam (Liu. XXII, 7) et Cannensem stragem (App. Hann. 27) nemo prouocauit colligi debet, ut uoluere quidam, eum ultra pugnam Cannensem historiam suam non produxisse. immo ueri simillimum est Fabium Pictorem, qui haud dubie grandibus belli Hannibalici casibus excitatus ad historiam Romanam literis mandandam sese accinxit, hoc ipsum bellum singulari cum diligentia enarrandum sibi sumpsisse.

Restat ut disseramus de iis auctoribus, quos Plutarchus praeter Fabium Pictorem consuluit. ac secundarios fontes aeque ac primarium fontem in utraque uita eosdem fuisse ueri simillimum est. quae uero ex iis manauerint ipse Plutarchus aut nominibus auctorum appositis aut uerbis: *ἔνιοι δέ φασιν, ἕτεροι μὲν οὖν λέγουσι, ἱστορεῖται δὲ*, similibus indicare solet. addidit autem rebus secundum Fabium Pictorem narratis ut iam supra annotauimus aut diuersam unius rei famam aut narratiunculas, quibus ingenia ac mores uirorum clarorum illustrantur, aut res ad antiquitates quas proprie dicimus spectantes. neque auctores e quibus ea hausit nos ignorare uoluit. nam duobus locis multos nominat; comp. Pelop. et Marc. I, 27: *Ἀννίβαν δὲ Μάρκελλος, ὡς μὲν οἱ περὶ Πολύβιον λέγουσιν, οὐδὲ ἅπαξ ἐνίκησεν, ἀλλ' ἀήττητος ὁ ἀνὴρ δοκεῖ διαγενέσθαι μέχρι Σκηπίωνος. ἡμεῖς δὲ Λιβίῳ, Καίσαρι καὶ Νέπωτι* *) *καὶ τῶν Ἑλληνικῶν τῷ βασιλεῖ Ἰόβᾳ πιστεύομεν, ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ γενέσθαι.* de altero loco (Marc. XXX) iam antea egimus atque ui-

---

*) Si uere Cornelius Nepos in uita Marcelli ita narrauerat mirum quantum secum pugnauit. nam in uita Hannibalis, cap. 5 disertis uerbis dicit: „quamdiu in Italia fuit (Hannibal), nemo ei in acie restitit, nemo aduersus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit,“ et paulo post cap. 6: „Hinc inuictus patriam defensum reuocatus.“ sed talis incuria non raro occurrit in Nepote.

dimus Plutarchum de morte Marcelli agentem Cornelium Nepotem, Valerium Maximum, Liuium, Caesarem Augustum auctores laudasse, perperam autem Liuii et Valerii Maximi testimonia reddidisse. cuius erroris quae fuerit causa et num omnes quos laudauit auctores euoluerit Plutarchus accuratius quaerendum est. ac de Valerio Maximo quidem iam Kempfius, praef. edit. Val. Max. pag. 44 annotauit Plutarchum aut Graecum aliquem scriptorem, qui testimonium Valerii de sepulto Marcello exhibuisset, non recte intellexisse aut relationem de Valeriana narratione fortasse parum accuratam ab amico studiorumque adiutore acceptam non diligenter excussa ueritate reddidisse. altera coniectura iure reiecta priorem persecutus U. Köhlerus in commentatione s. l. pag. 32 suspicatus est: „Iubam ἐν τῇ ἀρχαιολογίᾳ ῥωμαικῇ scriptorum Latinorum de morte Marcelli testimonia collegisse, et Plutarchum eum secutum esse neque uero diuersos auctores accurate distinxisse." sed non recte suspicatus est Köhlerus atque miramur H. Peterum pag. 76 eius opinionem probauisse. nam ne nouisse quidem potuit Iuba Valerii Maximi factorum et dictorum memorabilium libros. Iubam enim, etiamsi quo anno diem supremum obierit pro certo confirmari non potest, tamen anno 24 p. Chr. n. non iam in uiuis fuisse constat; cf. Müller. fragm. hist. Graec. III, 466. Valerium Maximum autem intra annos 28 et 32 p. Chr. n. opus suum confecisse demonstrauit Kempf. praef. pag. 7. patet Valerii testimonium in Iubae historia extare non potuisse. neque opus est ad alium Graecum scriptorem confugere, quia ex incuria ac leuitate, qua Plutarchus secundariis fontibus uidetur usus esse, multo probabilius colligi potest quo modo error ille ortus sit. nam ut supra probauimus Plutarchum in scribendis uitis Liuium non ante oculos habuisse, sed sententias eius ex memoria attulisse, item putamus eum, Valerio Maximo et fortasse aliis auctoribus non denuo inspectis, probe quidem meminisse dissentire auctores inter se de ossibus ab Hannibale Romam missis, singularum autem narrationum auctores confudisse. legisse autem Plu-

tarchum omnes*) non est cur negemus, quoniam saepius ad eosdem prouocauit. dubium tantum uideri potest ad quod Caesaris Augusti scriptum respexerit. nam in commentariis quos de uita sua scripsit Augustus de his rebus actum esse cogitari uix potest. sed recte putamus Heerenium pag. 124 statuisse Plutarchum orationem funebrem, quam Augustus post mortem immaturam Claudii Marcelli 22 a. Chr. n. habuit et quam in publicum editam esse ueri simile est, ante oculos habuisse. in ea enim prisca Marcellorum gentis decora in memoriam reuocata esse facile intellegitur. — praeterea saepius in utraque uita laudatur Posidonius. eo enim auctore Plutarchus (Fab. Max. XIX et Marc. IX) tradit Fabio Maximo scuti Marcello gladii nomen a Romanis tributum esse et (Marc. I) disserit de nomine Marcellorum. ex eodem affert (Marc. XX) narratiunculam quandam ad bellum Siculum spectantem et (Marc. XXX) epigramma, quod statuae Marcelli in templo Mineruae apud Lindum positae inscriptum erat. neque plura ex eo petita esse ueri simile est, quia incertum est num plura in Posidonii historia fuerint, quae ad belli Hannibalici tempora pertinerent. continuauit enim Posidonius Romanam Polybii historiam atque illa quasi in transitu attigisse uidetur. peculiari autem scripto eum uitam Marcelli narrauisse, quod dubitanter suspicatur Müllerus fragm. hist. Graec. III pag. 252, ex solis illis fragmentis elici non potest. — laudationem uero Fabii Maximi, cuius mentio fit Fab. Max. I; XXIV, ipsum Plutarchum non legisse, sed de ea ex alio scriptore rettulisse apparet ex eo, quod de dicendi ratione Fabii disserens addidit uerbum „λέγουσιν“ (Fab. Max. I, 35).

---

*) Hoc Iubae testimonium uere ἀρχαιολογίᾳ ῥωμαικῇ tribuendum est. omnes enim locos a Plutarcho ex Iuba allatos praeter nostrum et Sull. XVI; Sert. IX non ad historiam eius, quae praecipuus fons uitarum Romanarum Plutarchi uulgo existimabatur (cf. Heeren. pag. 144), sed ad ὁμοιότητας referendos esse conuicerunt Klapp. in diss. l. pag. 4, sq. et Leo „de Plutarchi quaest. Rom. auctoribus,“ Halis 1864, pag. 18.

BEROLINI. S. CALVARY & Cp. (G. H. SIMON).





